EXCURSOR CASTIGATUS

SEU

COLLEGIA CANONICORUM CATHEDRALIUM

VINDICATA.

EXCURSOR CASTIGATUS

SEU

COLLEGIA CANONICORUM CATHEDRALIUM

VINDICATA

ADVERSUS CAVILLATIONES ANONYMI

AUCTORE

VINCENTIO PESCE

CATHEDRALIS ECCLESIÆ AVERSANÆ CANONICO THEOLOGO.

NEAPOLI MDCCC.

Superiorum permissu.

Omnis & animadversio, & castigatio contumelia vacare debet.

Cic. lib. 1. Offic. cap. 25.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO MIGLIORINI

DIRECTORI AMPLISSIMO

Viro πολυμαθεστάτῳ.

HOc qualecumque est lucubrationis meæ, cum rationem inirem, cui inscriberem, cuique in clientelam darem; qui mihi in mentem veni-

nires, non modo primus, Exm̃e Dñe, sed unicus extitisti. Nimirum cum confutanda mihi, ac refellenda fuerint, quæ in me, meumque libellum, quem de Canonicorum Cathedralium Juribus, ac Muneribus duobus abhinc annis publici juris feci, impotenter effutiit Anonymus quidam gladiatoria quadam excursione, & incursione instituta, Patronum, Propugnatorem, Vindicem opportuniorem Te comperi neminem. Occurrit quippe menti continuo tum facilitas illa Tua, atque humanitas adversus omnes, in me vero benignitas plane singularis, qua me, Tibique identidem

tidem

tidem oblata studiorum meorum specimina excipiens & laudibus ornare amplissimis, mihique insuper gratias agere peramanter voluisti; tum eximia eruditio Tua, rerumque Canonicarum summa peritia, ut ipsos Ecclesiastici Ordinis Viros, quorum ceteroqui isthæc pernoscere præ omnibus interesset, ut plurimum antecellas. Quo factum est, ut a Ferdinando A. P. Rege nostro Sapientissimo Ecclesiasticis negotiis (qua parte Regiam cognitionem admittunt) ordinandis summa cum laude præfectus fueris. Vides ergo, Vir amplissime, quanti fuerit in hac suscepta con-

certatione mea Te Judicem appellare, a quo, si secundum me sententia lata fuerit, ad alium provocatio non sit, ac lis omnino composita. Publicitus Tibi quippe in hisce rebus juris dicundi sine provocatione auctoritas permissa est. Intentus interim Excursori meo castigando, doctrinæque a me propositæ rationibus constabiliendis, me totum, ac scriptiunculam hanc meam in fidem tuam committo

Excell.[tiæ] Tuæ

Addictis.[mus] Obsequentis.[mus] Famulus

VINCENTIUS PESCE

Ecclesiæ Avers.[næ] Can.[cus] Theologus.

EMINENTISS. SIGNORE

Donato Campo pubblico Stampatore supplicando espone all' E. V., come desidera dare alle stampe un libro intitolato: *Excursor castigatus, seu Collegia Canonicorum Cathedralium vindicata adversus cavillationes Anonymi*. Prega perciò l' E. V. commetterne la revisione a chi meglio parrà a V. E., e l'averà a grazia ut Deus.

Il Signor Canonico Elefante rivegga, e riferisca, affine ec.

Napoli 29 Settembre 1800.

VINCENZO Vesc. di Capaccio
Vicario Generale.

Atteso l'impedimento del Signor Canonico Elefante, rivegga attentamente il Signor Parroco de' Fiorentini, e riferisca.

VINCENZO Vesc. di Capaccio
Vicario Generale.

Quam-

Illustriss., ac Reverendiss. Domine

QUamvis ipsum sapientissimi Canonici Theologi Cathedralis Ecclesiæ Aversanæ Vincentii Pesce nomen celeberrimum omnis approbationis loco esse possit, opere etiam paucis abhinc annis edito; legi tamen hoc ejus Opusculum, cui titulus *Excursor castigatus*, summa fateor cum voluptate, in quo nihil Fidei, bonisve moribus adversum; at vero summam eruditionem cum pietate conjunctam comperi. Eaque propter calculo meo illud approbo typis mandari, & publici juris fieri, ut facilius legi detur omnibus censeo, & sentio. Datum Neapoli in Ecclesia Regia Parochiali S. Johannis Baptistæ Florentinorum anno 1800. die vero decima Decembris.

Humillimus, addictissimus Servus
Cajetanus Parochus Giannattasio.

S. R. M.

Signore

Donato Campo pubblico Stampatore supplicando la M. V umilmente l'espone, come desidera dare alle stampe un libro intitolato: *Excursor castigatus, seu Collegia Canonicorum Cathedralium vindicata adversus cavillationes Anonymi*. Prega perciò la M. V. benignarsi rimetterne la revisione a chi meglio piacerà alla M. V., e l'avrà a grazia ut Deus.

D. Do-

D. Dominicus Sarno diligentissime perlegat, & in scriptis referat.

Neapoli die XVIII. mensis Junii 1800.

F. A. CAPP. MAJ.

Ex-

Excellentiss., ac Reverendiss. Domine.

JUdicium, Te iubente, de libello laturus, cui *Excursor castigatus* inest titulus, nullus dubito, quin dignum esse libere dicam, qui litterarum studiosissimo cuique legendus commendetur. Hic, ubi Conditori suo imputata disiicere intenditur, nec penitior antiquitatum Ecclesiasticarum cognitio, nec latini sermonis pulegium, nec lucida disputandi ratio, qua singula quæque loco suo iacent, penitus desideratur. Quumque porro nihil quicquam adsit aut Christianorum Sacris, aut Regiis Iuribus adversum, mea est opinio, ut in lucem prodeat quamcitissime. Datum Neapoli VIII. Kal. Decembr. CIↃIↃCCC.

Humillimus & addictissimus cliens
Dominicus Sarnus.

Visa relatione Regii Revisoris imprimatur.

Neapoli die XV. mensis Decembris 1800.

F. A. CAPP. MAJOR.

Joseph Abate Secretarius.

COLLEGIA CANONICORUM VINDICATA.

EDitus est a me duobus abhinc annis libellus de Canonicorum Cathedralium Juribus, ac Muneribus eo Consilio conscriptus, ut eorum ambitionem compescerem, qui nullis pene animi ornamentis instructi, quibus ad Presbyterium, cui hodierni succedunt Canonici, patebat aditus, ad sublimem hunc ordinem obrepere potius, quam adscendere videbantur. Sed vix prælo sciptiuncula commissa erat, & singulæ ad me paginæ corrigendæ perferebantur, cum nescio quis numquam a me petitus, nulla

prorsus a me violatus injuria; gladiatorio animo ad me affectat viam, atque expugnandum suscipit, nullisque conviciis, ac maledictis parcit. Quid igitur nunc opus factu est? Par pari respondendum? Minime omnium. Immo potius dissimulando, ac tacendo, aut saltem mussitando accipienda fuisset injuria. Sed illa me deterruit cogitatio, ne forte imperitis meus imponeret Anonymus maximo cum veritatis detrimento: ut responsionem adornare omnino ipsius me veritatis coegerit amor. Qua in te numquam ego committam, ut egrediar officio meo, quod Christiana charitas, quod Sacerdotalis modestia postulat; libenter enim me illorum numero excerpam, quorum os maledictione plenum est, & amaritudine & dolo; quorum sub labiis venenum aspidum est; sub lingua eorum labor, & dolor. Immo & illud etiam dabo operam (ne mihi succenseat), ut non una continenti oratione, quod mihi dissertationis stilus alibi suaserat, sed per intercisas sectiones illum pone sequar fidelissimus comes.

In

In Monitum ad Lectores.

CASTIGATIO I.

1. *De violata Piana Bulla calumnia exploditur*
2. *Refellitur calumnia altera de æquatis Episcopo Presbyteris.*
3. *Quo sensu Episcopalis auctoritas Presbyterio obnoxia diceretur.*
4. *Difflatur calumnia tertia de palinodia occentata.*

ATque hic statim in exordio oportuisset me ad defendendam noxiam, ac gravissimum crimen eluendum aggredi (nam quid odiosius homini Orthodoxo ετεροδοξιας nota?), nimirum me a Jansenistis stare, ac in Pianam Constitutionem impegisse in statuendis Presbyterii Juribus. Sed me hac cura liberavit Anonymus noster, contentus iis, quæ super hac re in appendice edisserui, ac benignissimam in me sententiam pronunciat, *veritati me, ac muneri meo cumulatissime satisfecisse*. Quod dat, accipio, gratiasque habeo ingentes. Sed quoniam momentosum negotium est, e re mea esse video aliquantisper hic immorari.

Ad concitandam alicui invidiam nihil accomodatius, hisce præsertim temporibus, Jansenistarum appellatione. Pessimum genus hominum, Christianæ Religioni semper infestum, ac perniciosum imprimis, quorum studium in eo collocatum est, ut ipsa Ecclesiæ fundamenta per quosdam cuniculos, artesque vaferrimas impetat, concutiat, ac disjiciat. Hinc mirum non est, si odio eos Vatiniano prosequantur, quotquot Catholicæ veritati litarunt, eamque plus oculis cariorem habent. Verum opus hic est non Excursore celerrimo, sed tardo potius, ac moroso homine, qui probe rem discutiat, ad trutinam exigat, nec intemperanter præproperum judicium ferat. Satis quippe compertum est, Augustini Discipulos, Theologos sapientissimos diu hoc ex capite fama periclitatos, donec rebus diligentius pensitatis, apparuit denique, eos nonnisi per pessimam calumniam turpissima hac nota inustos.

Nunc hoc age, noster Anonyme, quam culpam ego commerui, ut a te Jansenistarum patrocinator vel sub ipsum initium traducerer? Nonne ex te ipso perditi hi nebulones, *ut Episcoporum infringerent potestatem . . . Episcopos, ac Parochos pares quodammodo esse arbitrabantur?* Si illud *quodammodo* sustulisses, melius certe Jansenistas depinxisses nam Presbyteros Episcopis æquiparasse disertissime nuperis literis suis ad Clerum Gallicanum confirmat immortalis memo-

moriæ Pius VI. Quid porro his ſimile mihi excidit umquam, qui per ſingulas fere paginas mei Opuſculi ad ravim, ad faſtidium, ad nauſeam usque iterumque iterumque ingeminavi, ac tu ipse fateris, Presbyteris Episcopos antecellere, illorum poteſtatem hiſce obnoxiam, illos sub Episcopis miniſterio ſuo defungi?

At enim (id quippe criminaris) Epiſcopalem poteſtatem verbis quidem amplifico, re vero ſub ipſos Presbyteros demitto. Nam quid illud, amabo eſt, nil potuiſſe olim Episcopos ſine Presbyterio moliri, aggredi, expedire? Non augurabar certe, id mihi objectum iri, qui id semper urſi, id ubique prædicavi, ac ſi lubet, repeto, Episcopalem Dignitatem, auctoritatemque in Eccleſia ſupremam divino a Jure proficisci; ſecundam ab hac Presbyteralem primæ illi in sacris miniſteriis obeundis subditam. Presbyteria vero ſic dicta, ſive Presbyterorum cœtus Epiſcopo adſidentes, eorum jura, ac privilegia Eccleſiaſticæ eſſe originis, atque inſtitutionis, Episcoposque in Conciliis coactos ea illis contuliſſe, ſuamque poteſtatem Presbyterii vel conſilio, vel consensu ligaſſe. Si ergo mihi id culpæ vertendum, culpam eamdem conferas oportet in Canoniſtas omnes, quibus ratum eſt, nihil gravioris momenti purioribus Eccleſiæ sæculis fieri ab Episcopo potuiſſe ſine Presbyterio, quod ex Presbyteris, ac Diaconis coaleſcebat.

Adeatur doctissimum Æmilii Gentile Alifani Episcopi Judicium in calce Operis nostri. Culpam conferas in temporum illorum celebriores Synodos, ac præsertim Africanam IV. can. 23. de qua latius infra.

Ergo hoc habe. In rem Ecclesiæ fore censuerunt Sanctissimi illi Præsules ad isthæc convenientes Concilia, illique melius multo consultum, si communi totius Presbyterii consilio, atque administratione regeretur. Eo vel magis, quod regiminis istius exemplar e Sacris litteris hauserunt, ut proinde jure quodam divino, quod vocant, *Exemplari* pædagogo, ac Duce uti viderentur, quemadmodum adposite in re non plane dissimili loquitur Cyprianus infra laudandus. Neque id injuriosum Episcopatui, nisi per summam injuriam reputaveris; nam disciplinæ istius Apostoli exemplum præbendo, quique illis successerunt Episcopi Canones cudendo conditores fuere. Quod ego in appendice teste Thomassino confirmavi; cujus verba huc transferre non gravabor: *Canonum*, inquit de Benef. part. 3. lib. 1. Cap. 15. *qui Episcopalem frænant auctoritatem, Episcopi ipsi Auctores, conditoresque sunt.. Non ergo aliis clauditur Episcopatus limitibus, quam quibus ipse se se concludit*. Non ergo hæc facilitas, atque indulgentia uni, vel alteri Episcopo tribuenda, quod tu perpetuo facis, sed disciplinæ temporum illorum ab Apostolis acceptæ, in Synodis ab

Epi-

Episcopis confirmatæ. Quamobrem vide, nihil esse, quin male narrando possit depravari: nam tu id, quod boni est, excerpis, dicis, quod mali est.

Venio nunc ad alterum criminationis caput, quamvis tuum non est: amicus enim in aures insusurravit, tuque illi vicissim operas mutuas tradidisti. Sed est, quod in eo non modo probitatem tuam desiderem, sed justæ etiam commotionis adversus te causam habeam. Nam cum perpetuo me confutaturus verba exscribas mea, nihil hic hujuscemodi facis (neque enim poteras), ut videlicet sine teste calumnia minime appareret. Violatorem me Pianæ Constitutionis, quantum potes, sæpissime traducis. Recita Sodes decreti verba. *Doctrina, quæ Parochi, aliique Sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur una cum Episcopis judices fidei, ipsis competere jure proprio, & quidem etiam per ordinationem accepto* (Num. 10.) *Est falsa, temeraria*, &c. Nunc porro indica, quæso, sic tibi perpetuo constet sanitas mentis, ubinam in toto opusculo meo, non dico hæc, sed hisce saltem proxima asseruerim? Nonne ego non de jure disputare me, sed de facto tantum, scripsi luculenter pag. 107.? Nonne ego, quotquot præteritis sæculis ad subscriptionem, ac jus suffragii decisivi admissi sunt Presbyteri, ab Episcopis perlubenter admissos docui, in suumque gremium benigne acceptos? Nonne

COLLEGIA CANONICORUM

VINDICATA.

EDitus est a me duobus abhinc annis libellus de Canonicorum Cathedralium Juribus, ac Muneribus eo Consilio conscriptus, ut eorum ambitionem compescerem, qui nullis pene animi ornamentis instructi, quibus ad Presbyterium, cui hodierni succedunt Canonici, patebat aditus, ad sublimem hunc ordinem obrepere potius, quam adscendere videbantur. Sed vix prælo sciptiuncula commissa erat, & singulæ ad me paginæ corrigendæ perferebantur, cum nescio quis numquam a me petitus, nulla

prorsus a me violatus injuria; gladiatorio animo ad me affectat viam, atque expugnandum suscipit, nullisque conviciis, ac maledictis parcit. Quid igitur nunc opus factu est? Par pari respondendum? Minime omnium. Immo potius dissimulando, ac tacendo, aut saltem mussitando accipienda fuisset injuria. Sed illa me deterruit cogitatio, ne forte imperitis meus imponeret Anonymus maximo cum veritatis detrimento: ut responsionem adornare omnino ipsius me veritatis coegerit amor. Qua in te numquam ego committam, ut egrediar officio meo, quod Christiana charitas, quod Sacerdotalis modestia postulat; libenter enim me illorum numero excerpam, quorum os maledictione plenum est, & amaritudine & dolo; quorum sub labiis venenum aspidum est; sub lingua eorum labor, & dolor. Immo & illud etiam dabo operam (ne mihi succenseat), ut non una continenti oratione, quod mihi dissertationis stilus alibi suaserat, sed per intercisas sectiones illum pone sequar fidelissimus comes.

In

In Monitum ad Lectores.

CASTIGATIO I.

1. *De violata Piana Bulla calumnia exploditur*
2. *Refellitur calumnia altera de æquatis Episcopo Presbyteris.*
3. *Quo sensu Episcopalis auctoritas Presbyterio obnoxia diceretur.*
4. *Difflatur calumnia tertia de palinodia occentata.*

ATque hic statim in exordio oportuisset me ad defendendam noxiam, ac gravissimum crimen eluendum aggredi (nam quid odiosius homini Orthodoxo ετεροδοξιας nota?), nimirum me a Jansenistis stare, ac in Pianam Constitutionem impegisse in statuendis Presbyterii Juribus. Sed me hac cura liberavit Anonymus noster, contentus iis, quæ super hac re in appendice edisserui, ac benignissimam in me sententiam pronunciat, *veritati me, ac muneri meo cumulatissime satisfecisse*. Quod dat, accipio, gratiasque habeo ingentes. Sed quoniam momentosum negotium est, e re mea esse video aliquantisper hic immorari.

Ad concitandam alicui invidiam nihil accomodatius, hisce præsertim temporibus, Jansenistarum appellatione. Pessimum genus hominum, Christianæ Religioni semper infestum, ac perniciosum imprimis, quorum studium in eo collocatum est, ut ipsa Ecclesiæ fundamenta per quosdam cuniculos, artesque vaferrimas impetat, concutiat, ac disjiciat. Hinc mirum non est, si odio eos Vatiniano prosequantur, quotquot Catholicæ veritati litarunt, eamque plus oculis cariorem habent. Verum opus hic est non Excursore celerrimo, sed tardo potius, ac moroso homine, qui probe rem discutiat, ad trutinam exigat, nec intemperanter præproperum judicium ferat. Satis quippe compertum est, Augustini Discipulos, Theologos sapientissimos diu hoc ex capite fama periclitatos, donec rebus diligentius pensitatis, apparuit denique, eos nonnisi per pessimam calumniam turpissima hac nota inustos.

Nunc hoc age, noster Anonyme, quam culpam ego commerui, ut a te Jansenistarum patrocinator vel sub ipsum initium traducerer? Nonne ex te ipso perditi hi nebulones, *ut Episcoporum infringerent potestatem . . . Episcopos, ac Parochos pares quodammodo esse arbitrabantur*? Si illud *quodammodo* sustulisses, melius certe Jansenistas depinxisses nam Presbyteros Episcopis æquiparasse disertissime nuperis literis suis ad Clerum Gallicanum confirmat immortalis me-

mo-

moriæ Pius VI. Quid porro his simile mihi excidit umquam, qui per singulas fere paginas mei Opusculi ad ravim, ad fastidium, ad nauseam usque iterumque iterumque ingeminavi, ac tu ipse fateris, Presbyteris Episcopos antecellere, illorum potestatem hisce obnoxiam, illos sub Episcopis ministerio suo defungi?

At enim (id quippe criminaris) Episcopalem potestatem verbis quidem amplifico, re vero sub ipsos Presbyteros demitto. Nam quid illud, amabo est, nil potuisse olim Episcopos sine Presbyterio moliri, aggredi, expedire? Non augurabar certe, id mihi objectum iri, qui id semper ursi, id ubique prædicavi, ac si lubet, repeto, Episcopalem Dignitatem, auctoritatemque in Ecclesia supremam divino a Jure proficisci; secundam ab hac Presbyteralem primæ illi in sacris ministeriis obeundis subditam. Presbyteria vero sic dicta, sive Presbyterorum cœtus Episcopo adsidentes, eorum jura, ac privilegia Ecclesiasticæ esse originis, atque institutionis, Episcoposque in Conciliis coactos ea illis contulisse, suamque potestatem Presbyterii vel consilio, vel consensu i ligasse. Si ergo mihi id culpæ vertendum, culpam eamdem conferas oportet in Canonistas omnes, quibus ratum est, nihil gravioris momenti purioribus Ecclesiæ sæculis fieri ab Episcopo potuisse sine Presbyterio, quod ex Presbyteris, ac Diaconis coalescebat.

Adeatur doctissimum Æmilii Gentile Alifani Episcopi Judicium in calce Operis nostri . Culpam conferas in temporum illorum celebriores Synodos, ac præsertim Africanam IV. can. 23. de qua latius infra.

Ergo hoc habe . In rem Ecclesiæ fore censuerunt Sanctissimi illi Præsules ad isthæc convenientes Concilia, illique melius multo consultum , si communi totius Presbyterii consilio, atque administratione regeretur . Eo vel magis, quod regiminis istius exemplar e Sacris litteris hauserunt, ut proinde jure quodam divino, quod vocant , *Exemplari* pædagogo , ac Duce uti viderentur ; quemadmodum adposite in re non plane dissimili loquitur Cyprianus infra laudandus . Neque id injuriosum Episcopatui , nisi per summ m injuriam reputaveris; nam disciplinæ istius Apostoli exemplum præbendo, quique illis successerunt Episcopi Canones cudendo conditores fuere . Quod ego in appendice teste Thomassino confirmavi ; cujus verba huc transferre non gravabor : *Canonum*, inquit de Benef. part. 3. lib. 1. Cap. 15. *qui Episcopalem frænant auctoritatem , Episcopi ipsi Auctores, conditoresque sunt .. Non ergo aliis clauditur Episcopatus limitibus, quam quibus ipse se se concludit*. Non ergo hæc facilitas , atque indulgentia uni , vel alteri Episcopo tribuenda , quod tu perpetuo facis , sed disciplinæ temporum illorum ab Apostolis acceptæ , in Synodis ab

Epi-

Episcopis confirmatæ. Quamobrem vide, nihil esse, quin male narrando possit depravari: nam tu id, quod boni est, excerpis, dicis, quod mali est.

Venio nunc ad alterum criminationis caput, quamvis tuum non est: amicus enim in aures insusurravit, tuque illi vicissim operas mutuas tradidisti. Sed est, quod in eo non modo probitatem tuam desiderem, sed justæ etiam commotionis adversus te causam habeam. Nam cum perpetuo me confutaturus verba exscribas mea, nihil hic hujuscemodi facis (neque enim poteras), ut videlicet sine teste calumnia minime appareret. Violatorem me Pianæ Constitutionis, quantum potes, sæpissime traducis. Recita Sodes decreti verba. *Doctrina, quæ Parochi, aliique Sacerdotes in Synodo congregati pronunciantur una cum Episcopis judices fidei, ipsis competere jure proprio, & quidem etiam per ordinationem accepto* (Num. 10.) *Est falsa, temeraria*, &c. Nunc porro indica, quæso, sic tibi perpetuo constet sanitas mentis, ubinam in toto opusculo meo, non dico hæc, sed hisce saltem proxima asseruerim? Nonne ego non de jure disputare me, sed de facto tantum, scripsi luculenter pag. 107.? Nonne ego, quotquot præteritis sæculis ad subscriptionem, ac jus suffragii decisivi admissi sunt Presbyteri, ab Episcopis perlubenter admissos docui, in suumque gremium benigne acceptos? Nonne

ego Abbates quasi Episcopali jurisdictione pollentes, & Ordinum Regularium Generales Ministros cum decisivi jure suffragii etiam modo *Ecclesia largiente* ad Concilia etiam Œcumenica aditum invenisse tradidi pag. 107.? Nonne hoc illud ipsum est, quod tu ipse non diffiteris pag. 36. posse etiam Presbyteros decisivi suffragii honore ex privilegio augeri? Sed tibi parcendum est; excurrebas enim concitato gradu, nec singula poteras sedulo pensitare.

Non est ergo, cur *pientissimi Theologi meam Christianam humilitatem desiderarint, exposcerentque errati mei ingenuam confessionem, & quæcumque in hanc sententiam dixi, velle me indicta habenda.* Nimirum, si quid erratum a me esset, quæ mea docilitas est amicis meis probe perspecta, erroris mei confessionem edere minime erubuissem. Sed nihil me errori proximum docuisse, quod Piana constitutione proscriberetur, conscientia defendente certo certius habebam. Non ergo in Appendice *manus dedi, non cessi, non abjecto, nec rejecto scuto aufugi*; sed in gradu steti meo pristino, ac quæ pressius in Opusculo (neque enim tunc opus erat) fusius, ac luculentius in Appendice explicavi.

Si quæ huc usque deduxi, tibi plane fortasse non arriserint, ac si adhuc ducibus illis tuis peritissimis, ac doctrina præstantibus de me non bene sentire pergas, ac *nescio quid Transalpinum redolere me quod ju-*

ste

ſtæ censuræ nota mulctetur, pervicacius putes; laudationes, quas in me injuſſus profundis, illas tuas habeto tibi, ac conſultum tibi volo ex animo, ne & tu forte mecum eadem jacturæ ruina involvaris. Ego porro neque a Pontificia, neque a Tua, tuorumque censura solicitus sum. Non ab illa, quod sciam æquiſſimum Judicem in Catholicum innoxium hominem fulmina non intorquere; a tua vero minime omnium, quod inscitiſſime pronunciata ſit.

In Animadverſionem Præfationis meæ

CASTIGATIO II.

1. *Anonymi imperitia in Canonicorum muneribus deſignandis.*
2. *Intemperiæ Anonymi in Canonicos, ac Senatus nomen, quo a Tridentino honeſtantur.*
3. *Bonifaciana Conſtitutio Anonymo potius; quam nobis adversa.*
4. *Ejus contradictio.*

SEpoſita dicacitate, atque amarulenta Capitulorum omnium irriſione tria hic confutanda occurrunt. Primum, quod cum me vehementis maledicti loco habere scribas, ſi Canonicorum munia intra anguſtiſſimos odei fines

fines concludantur; id tibi, rerumque æſtimatoribus juſtiſſimis probari maximopere dicas; Canonicos uni Pſalmodiæ mancipatos, nihil eis negotii ulterius datum; doctrinam, ſcientiam, etſi a ceteris Clericis exposcitur, non tamen a Canonicis, *ut Canonicis*; ſatis hisce eſſe, ſi Muſice ſciant. O quantum eſt hominum confidentiſſime! quam rotunde, quam audacter, quam magnifice pronuntias! Sed cedo Canonem aliquem Concilii, unde id opinamenti portentum hauseris, cedo Doctorem, Canoniſtam aliquem. Sed Canones iſti nondum cuſi sunt, scita hæc nulli hominum adhuc in mentem venere. *Celeberrimus Canoniſta Espenius*, *qui tam multa pro Canonicis scriptitaverat*, id ſibi nunquam contigiſſe affirmabit, ut in hominem tali confidentia incideret qui iſthæc ſibi ex capite suo confingeret, ac venditaret: ipse certe alia omnino de Canonicorum muneribus censet, quæ dedimus Op. pag. 113: quod ergo gratis aſſeris, tihi omnino præſtandum eſt.

Canonicatus nomen eſt Officii, Operis, & Militiæ clericalis. Id ego ex Guilielmo Pariſienſi excripſi, quod jugulum petit tuum; nam ſi nomen Officii, Operis & Militiæ Clericalis Canonicatus, nihil omnino cum Cantoribus Canonico eſt, aut certe parum Quid tu ad hæc? Officium, Opus, laborem in concinendo ſitum putabis? in penso horarum Canonicarum persolvendo, ut faciunt *Pſaltæ*,

Oſtia-

Ostiarii, *Lectores*? Tu certe, qui maximus Canonista audis, id nunquam affirmabis, cum ex Canonistis acceperis tuis Officii nomine Ecclesiasticum ministerium potissimum designari. Qui denique militiæ nomen cantui adscribes? Num alicubi militare Cantores dicuntur? Sed apage has ineptias. Graviora multo sunt Canonicorum munia, quibus si quis per Officii recitationem nudam satisfieri *putet* (*putet autem supina ignoratione*) is certe immane quantum fallitur.

Urit secundo te Senatus nomen, quod odisti cane pejus, & angue. Durum, sed leviu fit patientia quidquid corrigere est nefas. Proin tu sexcentas scribito dicas Conciliis, Tridentino imprimis, cui hoc amplissimo nomine Canonicorum Collegia libuit cohonestare. At enim inane nomen est, mancipiorum greges Collegia (sic enim Cato noster appellat). Sed si inane nomen est, Capitulis illusit Tridentinum, scenicum Senatum Ecclesiæ exhibuit? In nonnullis fateor pristino jure Canonicos excidisse, superant tamen non pauca, quibus Senatoriam tueantur dignitatem.

Cum Senatus nomen Collegiis non posset denegare, vide quo confugiat tertio. Episcoporum indulgentiæ assignat hunc apud se habere Senatum. Etsi hoc jam supra occupatum est, dicat mihi modo, quomodo Episcopali indulgentiæ sit dandum, si Œcumenica lege Senatus hic Episcopis datur? qui

lice-

licebit Episcopis Sacerdotes alios in Consilium adsciscere, si per Tridentinum in multis capitibus solos Canonicos debet? Sed Bonifacius VIII. cap. 3. de Consuetud. in 6. decernit, *non esse reprobandam consuetudinem, quam allegat Episcopus, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus Consilium sui Capituli requirere minime teneatur*. Aureum Caput, quod non minimo usui loco suo erit futurum, tibique ne memoria excidat, sedulo rogatum volo. Sed quid ex hoc capite demum conficies? nonne contra te ipse arma mihi suppeditas? Nam si Episcopis licet contra Capituli jura præscribere, ergo ante præscriptionem jure illo Capitula potiebantur, ut in Consilium essent adhibendi. Nonne & contra Episcoporum jura præscribere posse Capitula Decretalium jura non abnuunt? Reponis. Consuetudo hac, hæc præscriptio adversus Presbyterii jura corruptelæ nomine a Jure reprobaretur, si sacris adversaretur institutis, ut nos putamus; in quam sententiam producis Cap. *non putamus* ejusdem Bonifacii. Homo sanus ne es? Nonne, quantum hoc est negotii, solius disciplinæ est, quæ etsi e Sacris Litteris arcessitur, jus tamen Divinum non facit immutabile, ut complusculs nosti ab Apostolis instituta fuisse deinceps mutationi obnoxia?

Sed qui prætermittam turpissimam Anonymi contradictionem hoc eodem capite §.

Pau-

Paucis ante verfibus Canonicale Officium solo canendi munere definierat, a Canonicis, *ut Canonicis*, nil doctrinæ exquiri, doctrinæ, inquam, quam a fimplici Sacerdote abesse nefas putat. Nunc quid porro dicat, audiamus: *optat Ecclefia nonnifi probitate, ac doctrina conspicuos in illud Collegium adlegi, ut eorum confiliis poffit in arduo munere suo Epifcopus uti*, atque hoc fenfu demum Canonicos effe Senatum Episcopi. Ad mentem redierat. Defipit iterum; nam fubdit mox: *Canonici, ut Canonici, fempliciter ad hoc funt inftituti, hocque eorum eft Officium*, (Efpenium producit part. 3. de Inftit. Canon. cap 2.) *ut Hymnis, & Canticis Dei nomen*, &c. qua in re non folum ipse fibi contradicit, sed Efpenio etiam imponit, quem mentitur afferere hoc unum effe Canonicorum Officium, Psalmodiam scilicet, cum nihil a Canoniftæ hujus mente magis alienum fit, uti allato ejus teftimonio probavimus in Op. pag. 113. Apparet hic Excursorem Noftrum dormitaffe potius, quam excurriffe.

In § I.

CASTIGATIO III.

1. *Prævaricationis mihi crimen impactum Anonymi oscitantiam prodit.*
2. *Confirmatur opinio de Episcopi nomeclatura olim Presbyteris communi, disjectis Anonymi argumentis.*

Cum ne Præfationi quidem meæ pepercisset Anonymus, opus ipsum statim aggreditur. Prima coitio est acerrima Sic porro excursionem instituit. *Vel insignis bucco, imo stipes, lapis, & quid vis aliud, quam homo ego sum, qui nihil sapiam: vel egregius prævaricator est Theologus Noster, qui Canonicorum, quam tuendam susceperat, causam prodit in hac Prima Parte, quam Parochorum Apologiam jure inscribere posses.* Quam venuste quod dedit principium? Quam vereor, ut dilemmatis pars prima vera sit; nam absque eo esset, persentisceret profecto, me ideo Parochis velificari (quamvis ceteroqui iis optime consultum velim), quod pro temporum illorum conditione communi cum Canonicis causa uterentur. Cum porro ab

ab iis seorsum rationes suas instituere cœperunt, me illos sibimet reliquisse : neque enim mea indigebant opera ad sui muneris amplificationem ; ac Canonicorum decora, ac jura prosecutum illo etiam ævo, quo Animarum ministeriali cura levati, eminentiorem cum Episcopo retinuere. Sed hic stimulus Anonymum acerrime pungit ; nec vulnus prodest sæpius refricare, quin potius rem integram proprio loco reservare satius erit.

Pergit porro Anonymus, ac mihi litem intentat, eo quod utriusque Ordinis Sacerdotes cognomines fecerim. Possem quidem totum id, quantum est negotii, intactum relinquere, quod res sit in quæstione posita; liberumque sit in utramque partem sentire; sed non omnino inutile fuerit, eversis contrariæ opinionis fundamentis, firmius, quam tenui, sententiam constabilire. Ergo confitetur ipse Episcopos nomine Presbyterorum nuncupatos fuisse, idque extra dubitationis aleam positum. At Episcopi nomen fuisse Presbyteris tributum prorsus denegat ea ratione, quam a suis mutuatur. *Siquidem*, inquit, *cum sunt variæ species, seu partes, quæ uni subjiciuntur generi, omnium linguarum est usu receptum, ut nomen generis evadat proprium illarum partium inferiorum sine detrimento tamen partium superiorum, quibus genus ipsum aptatur. At neque usus,*

neque

neque ratio patitur, ut nomen proprium speciei superioris inferiori aptetur. Exemplis res patebit. Sub nomine generali Clericatus intelliguntur etiam Sacerdotes. Et eum, qui Clericus est, appellabis Sacerdotem? nullo modo. Sed ambo te, Episcopatus, & Presbyteratus, quæ sunt duæ species, sub quo demum genere continentur? Si sub generico Sacerdotis nomine, recte est, ac non minus Episcopi, quam Presbyteri ex usu Ecclesiæ Sacerdotis nomine donantur; quemadmodum sub nomine generico Clericatus veniunt quotquot Ecclesiasticæ militiæ nomen dedere. Si vero contendas Presbyteratum esse genus, sub quo utriusque ordinis Sacerdotes continentur (quod ipse sentire videaris dum concedis Episcopos Presbyteros appellitatos) jam manifeste principium petis; nam si Presbyteri nomen commune esse putas utriusque gradus Sacerdotum; ego a contrario affirmo Episcopi nomen iisdem esse commune, ac proinde Episcopatum genus fuisse tunc, æque ac Presbyteratum. Ad convellendam porro argumentationem meam (quam me instruxerat Epistola ad Philipp. Episcopis, ac Diaconis Ecclesiæ illius inscripta, ex quo illud consequi videbatur, Episcopos hic dici secundi Ordinis Sacerdotes, quod minime fas esset plures Episcopos uni Ecclesiæ præficere) vide quid comminiscatur. Nascentis Ecclesiæ exordia postulasse, ut parata esset Episcoporum

rum copia ; qui ad urbes ; & Provincias Christiano nomini partas cum potestate mitterentur, ac propterea Episcopos, de quibus in Epist. laudata, fuisse Presbyteros Episcopali ordine insignitos, quos & Apostolos, & Evangelistas nominatos legimus. Quale commentum! Ergo ne in singulis Urbibus, amplioribus saltem, excitata prostabant Episcoporum Seminaria, ut inde quasi ex equo Trojano, opportunitate data ad Provincias excurrerent regendas. Sed quo vade, quo teste id confirmat? Populis contra aptissimus quisque Episcopus dandus est, seu, ut verbis utar Tridentini in re simili, aptior ad fundatam Ecclesiam. Qui vero id fieri potuisset, nisi post conversos populos, moribus illorum, ingenio, indole perspecta? Atque hinc fiebat, ut sæpe populares homines recens erectis Ecclesiis præficerent Apostoli, (quod ab iis acceptum diu retinuit antiquitas); quod nimirum popularibus civium suorum magis innotescerent ingenia. Apostolos denique hosce, & Evangelistas non in una se continere urbe oportebat, sed ad disseminandum Evangelium undique circumcursare. His omnibus adde. Si una in urbe tot Episcopi constituissent, aut omnibus simul regimen commune erat; & tunc quæ confusio, quæ perturbatio? aut unus imperabat; & tunc quæ contumelia Ordinis Episcopalis in iis, quos æquali parere oportebat?

Patronum hic invocat Thomassinum, quam-

vis ceteroqui cum doctissimo hoc gravissimoque Theologo, ac Canonista non satis ei conveniat. Sed quid ait tandem Thomassinus? Apostolos aut semper, aut frequentissime, quibus Presbyteratus ordinem largiebantur, eosdem Episcopalibus insignibus exornasse. Recte sane. Sed ubi asserit Thomassinus, plures in eadem urbe Episcopos? Ceterum tunc temporis, non per intervalla hi duo ordines conferri solebant, ut modo fit, ne excurrentibus Apostolis ad alias urbes, ac Provincias, Ecclesiæ sine Episcopis, ac Pastoribus primi ordinis desertæ jacerent.

Hinc dejectus Anonymus aliam solvendi nodi rationem init, nec certe multo feliciorem. Affirmat namque cum suis Theologis, Apostolos in minoribus urbibus Presbyteros tantum, & Diaconos ordinasse. In nobilioribus vero Episcopos, & Diaconos. Somnium. Sed indulgeamus illi, ac ut ipse vult, assentiamur; quid inde porro? Epistola ad Philippenses Episcopis ac Diaconibus inscripta est; si Episcopi hic sint secundi ordinis Sacerdotes, rem evicimus. Presbyteris ergo Episcopi nomenclatura communis fit. Sin vero primi ordinis Sacerdotes accipiantur, eodem in luto hæret; nam qui in una urbe plures Episcopi?

Eripere mihi deinceps conatur Act. Apost. Textum, ex quo mihi argumentum suppetebat ad probandum, eo temporis Episcopos, ac Presbyteros cognomines extitisse.

Locus

Locus est Act. cap. 20. ubi Paulus inducitur misisse Ephesum vocatum ad sese Majores natu Ecclesiæ, Presbyteros Græce. Hosce Presbyteros pugnavi ego non fuisse, nisi ordinis secundi Sacerdotes; nec conterminarum urbium intelligi posse Episcopos; nam si ita foret, *Ecclesiarum* dixisset, non *Ecclesiæ*. Sed admonet me Anonymus, Ephesum Metropolim fuisse, *ac satis fuisse Metropolim nominare, cujus variæ Civitates unius Ecclesiæ nomine optime exprimebantur*. Sed nescio utrum quis optime, Neapoli degens, volensque Canonicos Provinciales exprimere, Canonicos *Ecclesiæ* diceret, Choro adfuisse, publicam supplicationem peregisse, ad Synodum convenisse.

Urgebam porro, neminem Episcoporum, sive Ephesi, sive Ecclesiarum, quæ Ephesinæ suberant, sectarium fuisse, ut inde consequeretur, nomine Presbyterorum neminem Episcoporum indigitari, quando in neminem eorum quadrabat probrum illud ab Apostolo prædictum. Quid ad hæc ipse? Apostolo, ais, hic *non solum ad Episcopos, sed & ad ceteros fideles quoque sermocinari, & scimus ex fidelibus Asiæ Magistros iniquitatis prodiisse plurimos, ut Irenæum & Alexandrum*. Sed adverte, quæso, ad Apostoli verba: *ex vobismet ipsis exsurgent viri loquentes perversa*. Quinam sunt hi, nisi illi, quos alloquebatur? Non certe fideles laici, nam Presbyteros acciverat. Ergo vel Episcopi, vel Presbyteri. Non Episcopi, ut

 osten-

ostendi. Ergo Presbyteri. Quæ etiam ratio excludit cavillationem alteram tuam, ex gente Ephesina indicata monstra fuisse proditura; ut si quis sic effaretur, ex vobis, Saxones prodiit Lutherus. Nam non dixit, ex vobis, Ephesini, sed ex vobismetipsis, Presbyteri, ex urgent. Vide egregium verborum Apostoli contortorem. Pergit ineptire, cum ad comminationem eadem Apostolica verba detorquet, quod quid est, quam propheticarum prædictionum fidem infirmare! Oggerit, quamvis Apostolus Ephesinis prædixerit, numquam se posthac faciem ejus visuros, adhuc tamen remeasse illuc. Sed quid inde conficies? an ista item comminatio erit erga morigeros Presbyteros, quos paterne alloquebatur? an vero mendacii illum coargues? Sed detur, Paulum iterum Ephesum commigrasse, (quod tamen certo non constat) affirmabimus, nec temere, Apostolum tunc conjectando locutum fuisse, quod nimirum sic suæ se res haberent, ut Judæis invidiosissimus, Hierosolymas adventans immolaretur ibi, eo vel maxime, quod Spiritum Sanctum sibi protestatum sciret, vincula, ac tribulationes eum ibi mansurum. Non ita porro de hæreticorum prædictione pronunciandum est; nam adversus irrupturos errores remedia imperat, vigilantiam scilicet, suæque doctrinæ perennem memoriam. Quid quod ex eventu oraculo fides stetit, ut non diffitetur ipse Anonymus.

Sed Irenæus Episcopos interpretatur urbium

bium finitimarum. Ita est: neque ego Irenæum appellavi, nisi ut testaretur, eo tempore communi vocabulo utrosque Ordinis Sacerdotes censeri consuevisse; quod ipse diserte habet: *utrumque enim nomen habebant illo tempore* Ceterum Irenæus Presbyteros non excludit, quos Episcopali nomenclatura donatos oportet; nam Paulus omnes promiscue alloquitur: *convocatis Episcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheso, & reliquis proximis civitatibus*. Irenæum sequitur Tirinus, quem tu profers: *Per Episcopos intelligit vel Presbyteros primarios, vel etiam proprie dictos Episcopos, non unius, sed plurium civitatum Provinciæ Ephesinæ*. Uter ergo nostrum dormitat? cujus mens evolavit? Immo te dormitare potius jure contenderim, cum Presbyteros Primarios illos tuos Evangelistas interpretaris. Id certe Tirinus ipse indignabundus non ferret, teque non vidisse conquereretur, se Presbyteros Episcopis opposuisse; ait enim: vel Presbyteros, vel proprie dictos Episcopos: ergo Primarii hi Presbyteri non sunt ex Tirino proprie dicti Episcopi. Ceterum si Irenæus, si Chrysostomus, si Gregorius in tuam concedunt sententiam, pro me stat Hieronymus, Cyrillus, Isidorus, Beda, aliique non pauci. At ego pro re mea Irenæum produxi. Id equidem non alia ratione feci, quam quod ut dixi, tanto teste fidem conciliare vellem ei, quod asseveram, Episcopos, ac Presbyteros cognomines olim fuisse.

Non est ergo certum, ut ais, verba illa: *attendite*, ad Episcopos Apostolum direxisse. Neque te convertas postremo ad Cœlestini I. epist. ad Ephes. Synodum, cujus verba sunt: *respiciamus rursus etiam illa nostri Doctoris verba, quibus proprie apud Episcopos utitur ista prædicens: attendite vobis, & universo gregi*. Nihil quippe inde præsidii caussæ tuæ arcesses; nempe is non ait, *unice* Paulum *apud Episcopos* uti illis verbis: Attendite, etc. sed *proprie*; quod explicatius Trid. sess. 23. cap. 4. ait *præcipue*. Ergo sunt alii etiam ab Episcopis, quos oportet attendere Gregi, licet minus *proprie*, minus *præcipue*: eosque etiam amplius laudata verba complecti dubium non est.

In §. II.

CASTIGATIO IV.

1. *Redit calumnia de attentata Episcopali auctoritate, ac rejicitur.*
2. *Sententia de Monarchico Ecclesiæ regimine Aristocratia temperato non modo inter Gallos, sed etiam inter Italos Theologos communis.*

OPportune admodum Excursorem anteverti Castig. I. Nempe hic me is opperiebatur, ut attentatæ Episcopalis jurisdictionis reum postularet. Opinabar quidem licere mihi te-

ᴄto

ćto latere discedere , neque ullam motum iri mihi litem, cum protestatus essem, Catholice dici posse, Episcopos, ac Presbyteros Ecclesiæ regimini præfectos, illos quidem sub Rom. Pontifice, illos sub singulis Pastoribus. Nihil hujusmodi me tutum dedit. Criminatur adhuc *umbratilem jurisdictionis, ac præeminentiæ potestatem in Episcopis supra Presbyteros agnoscere*. Sed qui, bone, id tandem ? Nempe quia non in unius Episcopi potestate, ac imperio posita sunt omnia, sed Episcopi potestas illa Presbyterorum suorum consilio, & auctoritatis communione definitur. Nempe quia Presbyterium illud Ordinarium Ecclesiæ Tribunal dicendum est, ubi causæ omnes Ecclesiasticæ discuti, ac definiri debent, ut non solum nihil gravioris momenti geri debeat præter ejus auctoritatem, verum etiam, si quid eo inconsulto fuerit attentatum, irritum prorsus habeatur; Apostolos singulis Ecclesiis unum præfecisse, non solitarium quidem, sed seniorum nonnullorum consilio, & auctoritati obnoxium, quibuscum subjectos populos communi moderamine regeret. Papæ! quantam mihi invidiam ciet. Sed dic, sodes, sunt ne hæc ex cerebro meo conficta, an non potius ex Sacris Litteris, ac Conciliis deprompta? Textus Scripturarum, Conciliorum Canones produxi, quos te oportebat serio refellere, non contemtu, ac transversim, quod tu facis. Et quidem mirari subit, Canonistam Optimum, qualis tu audis

tota Urbe, ea aut ignorare, aut dissimulare; quæ Canonicarum Institutionum Scriptores solent tyrones ipsos edocere. Nonne vides, (ut crambem ego quoque, ut tu facis sæpe, recoquam) nihil inde Episcopali auctoritati derogatum, quando Lex ista ab Episcopali itidem auctoritate, tota quanta est, profecta agnoscitur? Pastores, ac Presbyteros mutua illigari concordia Sanctis illis Præsulibus Canonum illorum conditoribus cordi fuit, atque in unum utrosque Corpus coalescere; nihil membra sine Capitis consortio, nec istud sine membrorum vicissim communione gravioris momenti in Ecclesia umquam gerere.

Idipsum Metropolitam inter, ac Provinciales obtinebat Episcopos. Nihil præter Metropolitæ sententiam facere Episcopi jubebantur; nihil Metropolita, nisi in Provinciali Synodo. Atqui scitum est, talem erga Metropolitas Episcopis subjectionem, ac reverentiam imperare Canones, qualem morigeris filiis erga parentes. Quis inde arguet quæso, *Directionis*, non *Auctoritatis* præfectura in Episcopos Provinciales Metropolitam potiri, quando in illos poterat per Canones animadvertere, & eos exauctorare; eodem ferme modo, quo reluctantes, & invitos etiam Presbyteros fas est, ac jus Episcopi plectere, aut certe in Officio continere, uti in Append. luculentissime docui pag. 179..

Sed faxo, ut tibi ad restim plane res re-

ditura

ditura sit. Nonne Parochis, uti nunc sunt mores (modo exauctorati non sint judicio, ac, pronuntiata sententia) nonne inquam Parochis invitis proprio interdici nocuit ministerio? Immo invito Episcopo Parochus baptizabit, absolvet, Eucharistiam ministrabit, inunget Infirmos, Nuptiis benedicet. Colliges hinc vero, Episcopo non esse in Parochum *Auctoritatis* præfecturam, sed *Directionis*? Atqui nihil horum antiquitus nisi ad Episcopi nutum Parocho liceba ; ipse ipse tu ex Ignatio hoc docturus es inferius. Quemadmodum ergo potuit Ecclesia id Parochis indulgere, ut in rebus hisce Episcopi auctoritati minime essent obnoxii, quidni potuit Presbyterio Episcopi auctoritatem, in quibus libuit, illigare?

Commotum porro te video, quod ego Aversanus Theologus Ecclesiæ regimen non pure Monarchicum, sed ex Aristocratia temperatum defenderim, quod Gallis hic me dediderim. Non ego Dictatoris instar edixi; (quod quidem melius in te quadrabat, cui nullus sapit, nisi tibi sapiat qui non modo Dictatoris more, sed Œcumenici cujusdem Magistri Africana hic Concilia carpis, hic Thomassini prudentiam desideras, hic in Cardin. de Luca deblateras, hic Gallos omnes Theologos nullo discrimine despicatui habes.) Ego vero nihil statui, nihil decrevi; aliorum sententiam secutus sum, nec Gallorum modo, sed Italorum Theologorum; immo, quam adolescens in Aversano Collegio accepi

cepi

cepi ab Institutoribus meis, nisi malis Italos esse, qui forte Tibi in manibus sunt. Hanc vero sententiam Apostolicæ Sedi inofficiosam reputaverit nemo, nisi quis de illo grege sit, de quo Comicus

Homine imperito, numquam quidquam injustius
Qui, nisi quod ipse sentit, nihil rectum putat.

Bellarmiuus certe (qualis homo!) Rom. Cathedræ addictissimus paria nobiscum sentit.

Hominum morosissimum porro oportet esse Anonymum nostrum, qui fastidit omnes, omnes stomachatur sive *veteres*, sive *juniores*, quotquot ex Judaicorum rituum institutis in Hierarchia efformanda exemplum sumptum autumarunt, licet in hunc censum veniant Patres aliquot, illi præsertim, qui Moyse præeunte a Christo septuaginta duos electos, præter Apostolos, qui Patriarchas duodecim referebant, credidere. Me in primis ægre fert, qui Unigenitum Dei Filium hos ritus consecrasse asseruerim, ac Senatorum loco Apostolos habuisse. Ipse scilicet *Monarchice*, *absolute*, & *independenter Ecclesiam gubernavit*. *Ecquando*, subdis, *Apostolos vocavit in Consilium*? Ain vero? Ecce tibi duo præ ceteris Evangelii textus, qui incogitantiam coarguant tuam. Primus est Joh. 6. Cum nempe maxima hominum multitudo ad Iesum, ejus audiendi gratia, in desertum confluxissent, nolletque homines jejunos dimittere, quid demum in eo necessi-

cessitatis articulo agendum esset, cum Apostolis deliberans inducitur; auditisque Philippo, atque Andrea, dimittendos populos censentibus, quod non suppeteret eo loci, unde sex capitum millia pascerentur (quo redibat Philippi consilium;) esse quidem quinque hordeaceos panes, sed nihil tot inter homines tam modicum rei profuturum (quod Andreas retulerat); ipse præter omnium opinionem tam novo, tamque inaudito prodigio panes multiplicat, ut maxima multitudine exsaturata, adhuc cophini duodecim fragmentorum superfuerint.

Sed ecce tibi alter Evangelii locus Matth. 16. Longe gravior hic proponitur quæstio, quid nimirum de Christo, de Messia putarent homines, quid revera de eo sentiendum esset. Proponuntur humana opinamenta. Loquuntur Apostoli, referuntque illum quidem aut Eliam, aut Hieremiam, aut unum ex Prophetis a suis contribulibus habitum. Surgit in medio Petrus, qui non ex carne, aut sanguine, sed revelante Patre mysterium didicerat, illum Christum esse Filium Dei vivi, & corde, & lingua confitetur apertissime; in eadem verba ceteri erumpunt Apostoli; exultant, plaudunt, confitentur & ipsi. Horum sententiam Veritas ipsa confirmat, sanctissimamque, ac veracissimam Apostoli confessionem amplissimo afficit præmio. Nonne videtur tibi hoc aliud non esse, quam Apostolos in Consilium accire? Sed & eisdem Apostolis *moderato-*

ribus

tribus usum esse in diebus adhuc carnis suæ Christum Jesum, nonne inde conficitur, quod eos ad evangelizandum Dei Regnum inter Judæos misit, facta illis potestate edendorum miraculorum, curandorum infirmorum, super ipsos immundos spiritus imperio collato. Matth. 10. Luc. 9. Quod quid aliud existimas, nisi illos operis, quod a Patre faciendum acceperat, socios, ac Ministros habuisse propria potestate largissime illis communicata? Non rebar equidem tam te in Sacris litteris peregrinum.

Excurrat modo ad Episcopalem potestatem amplificandam, utatur porro Thomassino meo, quicum quandoque in gratiam redit, illum exscribat. Id illi libentissime do; nam neque opus habeo omnia pro jure meo agere; neque ipse ego diversa censeo.

In §. III.

CASTIGATIO V.

Refelluntur, quæ adversus Presbyterorum subscriptiones in Œcumenicis etiam Conciliis congerit Excursor.

OCcentat hic Anonymus consuetam cantilenam de Piana Bulla conculcata (id nimirum est unum, ex quo maximum me in odium inducturum confidit). In eo solum famæ

famæ meæ consultum vult, quod *innoxium* me illius violatorem mitissime appellat. Perbenigne. Sed quoniam hanc a me calumniam Castig. I. evidentissime depuli, age non de jure, sed de facto (quod ipse facere aggreditur) disceptemus. Ergo in arenam ille descendens sic statum capit. *Vetustissima, & constans Ecclesiæ praxis numquam simplices Presbyteros assidere cum Episcopis in generalibus Conciliis fidei judices passa est.* Id enimvero ego pernego; oppositumque constare ajo ex innumeris, quæ protuli toto opere, argumentis. Sed ipse vidit totum probationis onus eum premere. Quapropter argumento uno negativo, quod vocant, pugnare occipit.

Si oppositum, inquit, *verum esset, jam omnium Generalium Conciliorum fides nutaret; quandoquidem .... relicti Presbyteri potuissent hoc nomine in omnes constitiones Ecclesiæ insurgere, irritas ut legitima solemnitate destitutas declarare.* Possem quidem id argumenti tribus verbis exsufflare: ideo numquam reclamatum a Presbyteris affirmans, quia numquam exclusi, semper admissi. Quid hisce reponeret Anonymus, qui probaret perpetuo exclusos? Sed nolo ego hac una responsione uti. Ajo itaque, ideo a Presyteris, si forte aut non vocati, aut exclusi fuerint, reclamatum non esse, immo & reclamari nequiisse, quod ii non *jure suo, ac Sacerdotali characteri affixo*; quod tu mihi imponis, sed ex Eccel.

clesiæ largitione id demum illis tributum fuerit ; quia potest Ecclesia , verbis utar Gersonis , *certis de causis voces definitivas constituere in pluribus , vel paucioribus* .

Negativo argumentum addit positivum alterum ; nempe cum ad Chalcedonense Concilium accurrisset Clericorum turba , exclamaverunt Episcopi , *Synodus Episcoporum est, non Clericorum , superfluos mitte foras* . Sed quos Clericorum nomine hic accipi putas ? Presbyteros ne ? Si hosce, ipse tibi contradicis , qui statim affirmas : *Ex privilegio nonnullis quandoque Presbyteris subscribere datum est. Diaconos item , ac Presbyteros interdum subscripsisse definitionibus Conciliorum procuratorio absentium Episcoporum nomine* . Quomodo hi ergo superflui ? quomodo foras mittendi ? Clerici , quos expungit Synodus , ii sunt , quos Dioscori , atque Euthychetis Symmystæ conduxerant , turbandi caussa , ac tumultuum ciendorum . Quod si iterum in verbis illis , *Concilium Episcoporum est* , vim facias , scito rectissime Episcoporum Concilium dici , quod in hujusmodi conventibus Episcoporum partes sint præcipuæ , ac præcipuus numerus , licet adesse jubeantur & Presbyteri. Quibus nihil obstare comperio , quominus Patrum nomine condecorentur , ut nihil tibi proficiat , si urseris V. Synodum appellare Magnum Nicænum Concilium , ubi 300. decem , & octo Patres Congregati fidei confessionem exposuere . Hoc ipsum , si velis ,

&

& Constantinopolitanæ, ac Chalcedonensi Synodis, quæ suffragium ferentes Patrum nomine honestarunt, aptato.

Cum mihi porro objicis Tridentinum, ubi Theologi ad centum, ac triginta, qui interfuere, Conciliaribus actibus minime subscripsere, imperitis offucias facis: invaluerat enim tum jampridem inter decisivum, ac consultivum suffragium discrimen; hoc posterius Theologis relictum. Sed meminisse debueras, quod paullo ante præmiseras, etiam Presbyteris datum ex privilegio, ut subscriberent; quod quidem in ipsa Tridentina Synodo obtinuit, ubi Generales octo Religionum Ministri ex privilegio subscripsere, ut pudere te oporteat solitæ confidentiæ tuæ, cum liberrime pronuntias, in tota antiquitate *solos commemorari Episcopos, qui primis quatuor Generalibus Conciliis subscripti recenseantur, omissis, qui aderant, Presbyteris*. Ego certe contrarium evici, sed de hoc iterum inferius.

Iis, quæ præmiserat, eversis, celerrimum Excursorem meum, licet non passibus æquis assector. Invicte mihi probasse visus eram, Seniores, sive Presbyteros in Hierosolymitano Concilio procusum ibi decretum una cum Apostolis edidisse, tum ex ipsius Synodicæ inscriptione; tum quod imperetur Populis, uti Apostolorum, ac Seniorum præcepta custodiant, ut latius in opere meo deduxi pag. 10. Cum ecce mihi in os assurgit Anonymus satis pro imperio interro-

gans;

gans: *At est ne certum Seniorum nomine ibi vocari sint, licet Sacerdotes?* Parce, sodes. Ego sic addici in Ecclesia Catholica Episcopos inter, ac Sacerdotes nullum medium agnosci vel gradum, vel ordinem. Commemorantur hic loci Apostoli, idest Episcopi, ac Seniores; in his Senioribus videre mihi visus sum secundi Ordinis Sacerdotes. Tu proinde, qui acutius cernis, quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius, doce quæso, qui sint? Augustior ais, est Presbyteri vox; & Iohannes Evangelista Seniorem se nominat: *Senior Electæ Dominæ*. Sed bona tua venia, si Seniores sunt Apostoli, qui sunt illi alii in Inscriptione, qui diserto nomine vocantur Apostoli? Vin scire, ais? *Sunt majores Sacerdotes, & quidem illi, quos Episcopali charactere insignitos Apostoli pro Ecclesiarum opportunitate constituebant*. Sed primo, unum tum novimus Hierosolymorum Episcopum, Jacobum Apostolum fratrem Domini.

Deinde Commentum illud tuum de Episcoporum Seminariis in qualibet Urbe otiosis, jam supra difflavimus; tum & illud hic addo, unum in singulis Urbibus oportere esse Episcopum, ex Apostolica traditione descendere, unde Nicænum id hausisse credendum est. Secundo, si Seniorum nomine veniunt hic Majores Sacerdotes, idest Episcopi, quo demum nomine minores Sacerdotes, secundi scilicet Ordinis (quos Hierosolymis, ceterarum Ecclesiarum Matre,

Ur-

Urbe populosissima & fuisse, & huic Synodo interfuisse perquam credibile est), quo inquam, nomine indigitasset Sacer Textus! Quid attinebat vero, vidisse Apostolos necessitatem Majorum horum Sacerdotum, idest Episcoporum instituendorum, perinde ac si negaverit quispiam, posse Ecclesiam sine Episcopis diu constare? Samaria tum primo receperat Verbum Domini, nuntiante Philippo, baptizati fuerant; consignandi erant chrismate: cur, rogo, non miserunt illuc Apostoli ex Majoribus hisce Sacerdotibus aliquem Hierosolymis otiantem, qui Sacramentum illis Confirmationis ministraret, quin Apostolorum Princeps, ac Iohannes gravissime alio occupati proficiscerentur? Sed, cur frustra hic operam ludo, cum fateatur ingenue Anonymus Noster, Patres nonnullos simplices hic vidisse Sacerdotes, subdit tamen, *nunquam illis Patribus venisse in mentem, ea tribuere nostris Presbyteris, quæ Jansenistæ ex Apostolico illo Concilio derivare studuerunt*. Sed erat ne illorum Seniorum character diversæ speciei ab illo, quo Presbyteri nostri signantur? Aut poterit res alia ex hoc textu Actuum extundi, quam simplices Presbyteros (quo quo tandem modo dicas) decisivi jure suffragii potitos fuisse?

In §. IV.

CASTIGATIO VI.

Electio Matthiæ suffragiis peracta ostenditur, & quidem solius Ecclesiastici coetus.

TOtus hic occupatur in electione Matthiæ, ac septem Diaconorum, Anonymus, quicum mecum proinde duplex concertatio est, de Electione altera, altera de ipsius electionis ratione. Et vide, qua me charitate prosequatur, ne forte in barathrum aliquod inconsulto me proruam. *Videat, quo progreditur*, inquit, *Noster Theologus, ne plura quæsitis inveniat, & plebem quoque in Electione Sacrorum Ministrorum hoc exemplo consulendam, suffragii quoque honore donandam autumet*. Nil timeas, ajo, nil pericli est; jampridem visa pedum via est. Ergo in Sacrorum Ministrorum electione plebi etiam partem, ac locum dabimus. Sic censeo. Primum exemplum hoc: ab eo eumdem morem mutuata est antiquitas. Et plebi quoque suffragium concedes? Istuc porro nequaquam sic confidenter. Immo confidentissime. Ego vero hominem lepidiorem vidi neminem, quam Excursorem, qui mihi ipse, unde me extricem, liberalissime suppeditat; ut ecce mihi, quemadmodum alibi, sic modo Tirinum mihi ipse succenturiari jubet. Exscribo Tirini verba: *Sta-*

ut

tuerunt duos: qui? Utique Apostoli ex voto, ac consensu ceterorum isthic præsentium. Audin? Agunt Apostoli proponendo, sed ex consensu, ac voto ceterorum præsentium, plebis scilicet, & Presbyterii, qui ritus postea in mores abiit. *An ergo Ministrorum Ecclesiæ nominatio, & electio penes plebem est?* Id quoque ego negavi. *Neque enim hic a Plebe, sed solum coram Plebe ab Apostolis facta est nominatio.* Ab Apostolis solis? Id porro Tirinus neque dicit, neque dicere poterat; neque enim in Textu verbum ullum est, unde id colligi possit. Sed in Apostolis Ecclesiastici cœtus singuli homines continentur, quos Ipse etiam Apostolos nominatos Excursor confitetur, ac Apostolicos viros, velut unus ex illis Barnabas.

At Electio isthæc non suffragiis, sed sortium ministerio perfecta est. Hic ego in libera quæstione sentire, quæ vellet Anonymus, sinerem libentissime. Sed quoniam rationes mihi conturbare meas ratiunculis suis enititur, me jus meum prosequi, ac par pari referre æquissimum est. *Si suffragiis*, inquit, *res fuisset peragenda, ad quid communis illa oratio .... nimis viva, & fortis: Tu Domine, ostende.* Quam fortiter! Exulare jubet Anonymus noster ab Electionibus, Sacris præsertim, Orationes ad Deum fusas. Expungatur a Liturgicis libris *Missa* pro eligendo SS. Pontifice. Si suffragiis peragenda res est, ad quid communes

preces istæ? Interdicatur Electoribus isthæc oratio: *Domine ostende, quem elegeris*.

Sed urget: si fuisset suffragiis locus, incalescere potuissent congregati partium studiis. Nonne inter ipsos Apostolos paulo ante facta erat contentio, quis eorum *videretur esse major*? Quam modeste de primis illis Christi Discipulis sentis, quorum erat cor unum, & anima una, ut pessimo vitio, ambitione, & invidentia tabescerent! Apostolis vero indulgendum est, si semel aliquid humani passi sunt. Postquam vero exemplum illud intuiti sunt Dei-Hominis Magistri sui, qui humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis; immane quantum sui dissimiles evaserint. At enim *decebat, ut Ecclesiæ infanti, novus daretur Apostolus, quem non caro, & sanguis, sed Deus ipse daret*. Id ergo sedet animo, ut quos rite per Canonica suffragia Electores dant Ecclesiæ Præpositos, non Deus det, sed caro, & sanguis? Ineptit ergo Apostolus, cum asserit: *non est potestas, nisi a Deo: servi, obedite Dominis carnalibus, sicut Christo*. Nullo prodigio, ut plurimum, Principum potestatem a se profectam testatur Deus, carnales Dominos a Deo in servos jus habere nullo umquam portento significavit. Dat Deus, etiam cum per homines dat.

Easdem porro rationes, quæ ab Ecclesia interdictum expressere, ne Electiones sortibus committerentur, hic etiam locum habere

bere non diffitebitur Anonymus ipse. Id enim factum affirmat, *ut aditus fraudibus ac dolis præcluderetur, sed subactæ tantum, exploratæque virtuti ad Ecclesiasticas Dignitates pateret accessus, nec ad manus essent Electores, vel Eligendi, quales in novi illius Apostoli cooptatione sunt inventi*. Sed meminerit Noster, se paullo ante posuisse, partium studiis incalescere potuisse Congregatos; ipsos Apostolos non ita pridem de primatu concertasse; ac longe à perfectionis virtute abesse. Merito igitur per suffragia fraudibus locus est interclusus, ac dolis; in incertum res non est adducta; ad manus non erant nec Electores, nec eligendi, quales exposceret denique Ecclesia, ut sortium usum non interdiceret. Vide te, Bone vir; quo te excurrendo conjicias: pedetentim rogo.

Sed ego Gagnæum secutus sum; immo non eum solum, sed & Calmetum, aliosque non ignobiles; tu vero Tirinum. Recte quidem, bona tua pace, id per me licet. Illud moleste fero, te communem tuam appellare sententiam; perinde, ac si omnes ad unum Interpretes contriveris. Sed hoc obtines tuum, ut quod sentis ipse, sentire tecum omnes communiter jactites.

Venis ad illud demum, quo mea potissimum consistit sententia, Græcum videlicet Textum, qui sic legit: *Suffragiis cum undecim Apostolis connumeratus est*. Quid tu vero? Satis frigide. *Bene quidem. Quid suf-*

fragium , nisi voluntatis significatio ? quid suffragari , nisi favere . . . . quotquot aderant , plausibus , clamoribus , favoribus Matthiam receperunt , & Apostolorum albo jam cœlitus inscriptum proclamarunt. Idne porro Græcum Ψηφίζω , latine suffragium fero , significat ? Quam vellem , superessent adhuc Henricus Stepharus, Budæus, Scapula, Schrevelius , aliique Græcorum Lexicorum consarcinatores, ut hac nova verbi significatione suos augerent Commentarios! Idem ergo est suffragium ferre, ac plaudere , favere , proclamare? Ubi , quæso, id didiceris , cedo. Est quidem suffragium voluntatis significatio , sed voluntatis in opus influentis , per injectionem calculorum in urnam. Sed mittamus ineptos litteratores. Ego vero illi ostendam interea , quid susceptæ causæ meæ subsidii afferat Diaconorum inauguratio. Cum nimirum soli per se Apostoli Diaconorum Electionem expedire potuissent, permittere illam toti multitudini maluerint ; in qua multitudine, nisi partem præcipuam perspexeris , Presbyteros scilicet , seu Seniores (quorum in hujusmodi negotiis partes etiam præcipuæ semper fuere , næ tu cœcutis omnino.

In

In §. V.

CASTIGATIO VII.

Dum Apostoli locum 1. ad Corinth. 5. mihi incommodaturus vexat Anonymus, ab Novatorum deliriis prope abest.

ÆGre est Anonymo, quod ostensurus ego, moris fuisse, ut cum Episcopo Presbyterium in sontes anathema jacularetur, Textum mihi selegerim ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 5. *Qui locus factus est lapis offensionis Novantibus, inde inferentibus, penes Laicos, & Plebem, non autem penes Prælatos Ecclesiæ esse potestatem excommunicandi.* Vide portentum religionis! Quid mihi vero commune est cum Babylis illis; mihi, inquam, qui hoc præsertim ex capite illis incommodo; quod invicte ex hoc loco potestatem hanc Episcopis Presbyterii corona stipatis assero? Quid, si hic ipse Anonymus Noster, qui me imprudentiæ arguit, nebulorum illorum caussam tam impense fovet, ut ex illis nemo umquam melius. Audi ergo, quæso.

„ Omnes Corinthios, autumas tu, non „ solum Presbyterium Corinthiacum allo- „ quitur hic Apostolus: Epistolæ inscriptio „ id luculentissime ostendit: *Paullus Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis Sanctis cum omnibus,*

qui invocant nomen Domini Jesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro. Accipe nunc argumentationem hominis Heterodoxi. Conqueritur Paullus Corinthios officio defuisse suo, *cacozelia, & contentionibus occupatos, nec dolorem, nec curam habuisse, ut tam scelestus de medio illorum tolleretur, & ab Ecclesia ejiceretur; quid hic Presbyterium?* Laicos ergo, & non Presbyterium hæc Apostolica querela tangit. Oportebat illos incestum hominem tollere, non certo interficiendo (licet etiam notio hæc illi verbo subsit), ergo excommunicando. Nam si Laicos ea cura non pungit, quorsum querimonia? Vel si Apostolus solus *judicavit*, non Presbyterium, non Laici, immeritissime ipse conqueritur. Id ne dicas, dicendum tibi est, Laicos culpa non vacasse, impurum hominem minime ejiciendo, si per te jus istud Presbyterio non erat. Penes Laicos jus ergo est excommunicandi. Certe eo loci es, ut te purgaturus, solitam in excurrendo festinationem causseris tantummodo. Neque ad effugium illud te convertas, eo sensu tolli de medio illorum debuisse a Laicis scelerosum hominem, ut Apostolo deferretur, a quo demum anathemate percuteretur. Nam delatione ulla opus non erat, cum factum ita rumoribus increbuisset, ut Chloes tenus pertingeret: immo etiam ibi Apostolo significatum esset, ut ipsemet testatur. Sed queritur adhuc, hominem non sublatum. Volebat ergo excommunicatione plecti. Si por-

ro

ro hanc pœnam solus irrogare statuerat, cur de Corinthiis querelam instituit? de quibus porro Corinthiis, nisi Laicis, si Presbyterium expunxeris?

Sic ergo se res habuit, ut ego constitui, Estium Interpretum doctissimum secutus. Apostolo certe fas erat soli, infamem illum Ecclesia exturbandi: noluisse tamen, nisi adjuncto sibi Corinthiaco Presbyterio, ut Ecclesiastici regiminis normam jam tum componeret, ad quam posteri se componerent. Gratulor vero mihi vehementer, quod mihi, ut alias, hic quoque Tirinum egregium sane Interpretem mihi auxiliaturum exscribas: *Cui autem aliquid donastis . . . etiam ego condono: hoc est, sicut congregatis vobis, & meo spiritu jussi illum excommunicari* (ergo non ipse per se excommunicaverat), *ita me vobis adjungo, ut quod vos in persona mea illi condonatis, ego condonem, absolvendo illum ab omni vinculo excommunicationis*. Qui locus clarissimus est in utramque partem, ut curam mihi eximat de absolutione respondendi; ac tibi nullum relinquit scrupulum, quin minime solus judicaverit Apostolus, sive damnando, sive absolvendo.

Pro coronide noverit Anonymus Noster, me non alio consilio docuisse, Apostolico ævo Eleemosynarum Collectores, ac Diribitores communibus fuisse suffragiis lectos, nisi ut innotesceret, etiam in rebus non gravissimis plurium adhibitum consilium. Si

velis

velis etiam Populum in hac re Presbyterio adjungere, per me licet.

In §. VI.

CASTIGATIO VIII.

1. *Passim sibi contradicit Anonymus.*
2. *Miscellanea de jurisdictione ab Anonymo allata refutantur.*

Presbyterii, quale olim fuerat, animarum curæ obnoxii, potestatem amplificaturus, potestatem illam asserui divino jure institutam, divino jure in eos Presbyteros, ἀμεσως, collatam, licet Episcopali subjectam imperio, Gallis Theologis hac in parte adstipulatus. Et sane illorum opinionis affinis sum, modo me isthuc veritas perpulerit. Sed hosce Anonymus Noster acerbe depectit, *plagiariis illos accensens; qui quidquid pulchri, ac sublimis excudere visi sunt, a Nostris Italis suffurati sunt.* Tu ergo Italus homo lege agito, ac grandem illis dicam furti impingito. Nempe tu quantus, quantus nil, nisi Itala sapientia; illi vero somnium.

Sententiam ille meam, uti modo exposita est, de Presbyteris, sibi non improbari non diffitetur; verum nonnulla congerit Italorum argumenta pro opposita opinione. Illum sino libenter, quam voluerit, inire viam;

viam; illud non dissimulo, non tanti esse apud me rationes, quas Italis suffragaturus profert; facillimumque esse illas, si id agerem, exsufflare. Accuratius in Appendice rem pertractare visus sum mihi, eaque expromere, quæ Italum Theologum non dedecerent. Atque in eo totus fui, ut in ipso Sacerdotali charactere imbibitam quamdam ostenderem jurisdictionem, *inchoatam*, *radicalem*, *incompletam*, ab Ecclesia per subditorum contributionem complendam, ac perficiendam. Id *ridiculum effugium* Anonymus Noster humanissime appellat pag. 300. Vere Dictatorio more: nam, quemadmodum satis prolixe ex Ecclesiæ mente rem ego demonstravi, ipse in verba sua sine ulla probatione jurari vult. Quid quod obliviosus homo id ipsum docet hic pag. 51. Nam discrimen statuens inter Prælatorum, ac Vicarii Generalis jurisdictionem, quam utramque Ordinariam agnoscit; non hanc, sed illam *fundari* asserit *in Ordine Episcopali* (qui ut a jurisdictione dispescitur, non est, nisi Character), *qui perpetuo illis adhæret*. Mutato nomine de Presbyteris fabula narretur.

Quam vero non garrit, cum de Hierarchia, Tridentini auctoritate constabilita (quo ego argumento usus eram ad sacrum imperium non Episcopis modo, sed & Presbyteris, ac Diaconis asserendum) illos exturbare contendit. *Ergone*, acriter insurgit, *Diaconi, ut nunc sunt* (credo a Tridentini

ævo

ævo jure excidisse suo) *quoque principabuntur* , *quia Diaconibus etiam constat Hierarchia*? Id porro te ignorare, quod Adolescentes ad Ordinem hunc provehendi, interrogati apprime callent? Sed vide, quam tibi parum constes: hic ipse paullo inferius pag. 51. id asseris diserte hisce verbis: *Nos rectissime dicemus*, *Presbyteros principari*, *principari Diaconos*, *qui ad Episcopi nutum*, *quæ Ordinis sunt*, *explicant*. Principantur ergo Diaconi, imperiumque & in inferiores Clericos, & in subjectos populos exercent. In hos Presbyteri. In hos Episcopi.

Quid insulsius, & a nostra re alienius; quam quod subdis, Hierarchiam, non ad terreni Principatus imitationem efformatam; *nam Reges Gentium dominantur earum: vos autem non sic*. Pari modo hinc conficies etiam; nec Episcopos, nec Pontificem ipsum Maximum principari; quod principatus natura a terrenæ potestatis imagine immane quantum abludat. Hic vero Tibi in aures subjicio; hæc esse verba illa ipsissima, quibus ad evertendam Ecclesiasticam jurisdictionem abutuntur Sectarii. Thomassini certe mihi sententia præstanda non est, licet erudito cuipiam ingeniosa videri debeat, ac mirifice conducere ad ipsorum Minorum Ordinum Dignitatem augendam. Quid porro Tu in ea reprehendas? cum hi etiam Minores Ordines in Diaconatu includi videantur, cujus quædam decerptiones sunt; atque hoc pacto *minus proprie* Hierarchia contineri.

neri.

peri. In Episcopatu docuerat alibi Presbyteratum concludi, quod ejus fons, & origo sit.

Rursus de jurisdictione divinitus accepta vitilitigat Anonymus. En quo redit argumentum. *Si Christus illis* (Presbyteris) *jurisdictionem, executionemque vage, & indeterminate impertivit, qua fronte hanc Pontifices, quo jure hanc Episcopi cancellis circumscribent?* Sed non vidit acutus homo id posse ad Episcopos ipsos detorqueri. Nam si Christus vage, & indeterminate jurisdictionem, executionemque Episcopis impertivit, qua fronte Pontifices, quo jure Concilia intra cancellos eam concludent? Vin scire, quo jure? jure ipso divino. Nam potestas utraque sive Episcoporum, sive Presbyterorum jure divino potestati altiori subdita est; illa Pontificum, Conciliorum, hæc vero Episcoporum. Sed de disceptatione hac adi omnino Appendicem.

Ab instituto porro aberras longissime, cum a Prorege tibi exemplum adsciscis. Is quippe sub Rege principatur; sed principatus totus precarius est; a sola regia pendet deputatione. Nihil illi insitum, nihil proprium. Non ita Presbyter, cui præter deputationem Episcopi, Ordo, character est. Nihil sine Episcopo geret Presbyter, præsertim jurisdictionem attingens; sed nulli Episcopus, nisi Presbytero, quæ a charactere pendent, committet umquam. Consilio Proregis Rex arbitrio suo utetur; nulla quip-

quippe lege ad id petendum adigitur. Non ita Episcopus, qui Canonum Sanctionibus illud exquirere, ac sequi tenetur nonnumquam. Non dissimile de Generali Vicario, qui cum Episcopo unum componit Tribunal, judicium feras. Si quippe lege caveretur aliqua Ecclesiastica, uti necessario adhiberet eum in Consilium Episcopus, ejus adhæreret sententiæ, necessitate sibi per Canones imposita ad id Episcopus compelletur. Quid quod tu Ipse idem per te vidisti, ac veritus, ne si ad nutum alterius Ecclesiastica exeratur jurisdictio tota, in delegatam abeat, Ordinaria in solo Pontifice, aut Conciliis hærente; Ordinariam illam confiteris, quæ in Ordine fundatur, cui addere debueras & legem Ordini illam perpetuo illigantem. Sed de his satis multa.

In §. VII.

CASTIGATIO IX.

Ignatium pro se proferens Anonymus suo se jugulat gladio.

EX antiquissimæ Traditionis oraculo me præsidii aliquid caussæ meæ expiscantem commendat hic initio Anonymus; imprimis vero, quod aureæ illius catenæ, quam contexui, Magnum Ignatium, sibi in præcipuis deliciis (cui vero non?) primum annulum

sta-

ſtatuerim. Mox vero proterrere me, atque ex hac munitiſſima arce perturbare ſumma vi nititur. Illius vero impetum imperterritus ſtatim excipiam, ſi mihi facultatem fecerit eamdem, quam ipſe Monitor, ac Præmonſtrator meus hic ſibi ſumit, de duobus Lectorem præmonendi.

Primum eſt, Anonymum, quoties ad reſpondendum aggreditur, hoc unum fere ſemper urgere, in eo vim facere, ut Epiſcopalem poteſtatem cum Presbyterali componens, huic illam antecellere clamet; perinde ac ſi ego id aut negaverim, aut dubium eſſe alicubi dixerim. Numquam ego in iis, quæ protuli, teſtimoniis, utramque inter ſe poteſtatem contendi, ſed incolumi ſemper Epiſcoporum eminentia, Presbyterii prærogativas aſſertas volui. Id ſi non ille animadvertit, certe hallucinatus eſt; ſi intellexit vero, dolo malo egit, ut invidiam in me concitaret, quem uti ετεροδοξιας aſpergat labecula aliqua, diu ſaxum volvendo ſudat, nec proficit hilum.

Alterum, quod animadverſum volo, eſt, illum hic præcipue hanc tenere reſpondendi rationem, ut ſi regimen aliquod Presbyterio vel a Patribus, vel a Conciliis videat adjudicari, perpetuo id referat ad Chriſtianam humilitatem, ad humanitatem, ad charitatem ſuadentem, nullamque ibi agnoſcat neceſſitatem a diſciplina Epiſcopis impoſitam. Non quod diſſimulem, charitate duce eam diſciplinam a Synodis invectam, ſed quod

excludi velim singulorum Episcoporum arbitrium, nutumque illum modo volentium, nolentium modo.

Impetamus ergo illum armis suis, ac rem non aliter se modo habere, cogamus eum fateri. Ipse nimirum Ignatii vestigiis insistens, *nullum Sacerdotale munus docet potuisse celebrari, nisi Episcopo præsente, vel auctoritatem conciliante*. Probissime. Id quippe Ignatius aperte tradit. Adhuc porro disertius Epist. ad Smyrnæos: *Non absque Episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium celebrare*. Subdit Epist. ad Polycarpum, *ut nihil, nisi ex ejus sententia geratur, tum ut Populum hortando doceat, & ne Christiani matrimonia, nisi ex Episcopi auctoritate copulent*. Quid si quis, hisce auditis, hodiernos Parochos criminetur, ac perduelles homines, immorigeros, ac pervicaces traducat, quod nihil horum Episcopo consulto gerant, gesturi etiam invito, ac reluctante; quod baptizent, quod offerant, quod doceant, quod hortentur? Stultum hunc morionem ignorantiæ postulabis: id quidem, dices, Ignatii obtinuisse æro; per disciplinam postea in hoc negotio immutatum, factumque, ut quæ olim, nisi ad nutum Episcopi geri nequiverant, nunc porro αυτοκρατικως a Parochis expediantur. Si sic se res habeat, opinor mei juris esse, ut quam agnoscis in Parochis disciplinam, salva Episcopi auctoritate, sibimet Parochos in hisce muneribus permittentem,

eam-

eamdem non respuas, Episcopos ipsos, incolumi auctoritate eadem, Presbyterii consensioni, consilio, vel saltem consortio alligantem. His ita compositis repellendæ vi statim me comparo.

In §. VIII.

CASTIGATIO X.

Ignatii me verba contorsisse queritur Noster; Calumnia dispungitur.

ECce autem Anonymus nova defert crimina ingentia, capitalia. Quæ, bone, quæ? Ignatii verba contorsisti: vim illis attulisti (vere ipse te contorques testimonii mole oppressus). Ego vero pernego. Pergin credere? cedo Arbitrum; & quem? nisi Lectorem ipsum. Ejus judicio permitto omnia.

Ut obediatis Episcopo, & Presbyterio mente indivulsa. En verba S. Martyris Ignatii. Quid porro ex illis ego deduxi? Episcopo, & Presbyterio nempe obedientiam deberi mente indivulsa: rationem apposui: ideo Episcopo hanc obedientiam debitam esse, quod habeat jus pascendi (quod verbum ex Hebraico idiomate verbo regendi synonymum est); alioquin excluso hoc jure nulla deberetur obedientia; jus quippe regendi jus infert obedientiæ deposcendæ. At Presbyterio ex Ignatio obedientia

debetur. Ergo non alia ratione, nisi quia jus habet regendi. Quid hac consecutione pronius? Quid luculentius? Arbitror, te, Amice Lector, illud hic videre, quod se minime perspicere dolet Anonymus. Sed videamus, quid illi offucias fecerit. *Obedimus*, inquit, *Regi, & ejus Ministris, qui Regis nobis voluntatem significant*: Regis Ministris obtemperamus, non quod ejus nobis voluntatem significant, alias satellites essent, non Præsides: sed quia jurisdictionem, & imperium ab eo accipiunt. Eodem pacto obsequimur Episcopo, Presbyteris obsequimur; utrisque, quia a Deo sacrum collatum est imperium, licet altero majus alterum. Non ergo Episcopi vocem excipit Sacerdos, quam ad populum defert; ideoque præcipit: id nimirum præconi congruit; sed quod a Deo etiam Sacerdoti præesse datum sit.

Accipe alterum ex Ignatio: *nam & memorabile vestrum Presbyterium dignum Deo ita coaptatum est Episcopo, ut chorda citharæ*. Quid ad hæc ille? *Egregie*, inquit; *Nam quid Rex sine Ministris, Imperator sine exercitu? quid Episcopus sine Presbyteris?* At Rex Ministris suis jurisdictionem impertitur, Imperator Ducibus inferioribus. Ergo & Presbyteris suis Episcopus, quibus eo sensu jurisdictionem confert, quod subditos tribuat, in quos Presbyter potestatem a Deo per Ordinem acceptam expromat. Sed ab ipso accipiamus Anonymo, quis sit

scri-

scribentis scopus: *Totus*, inquit, *hic in eo est Ignatius, ut Ephesios ad obedientiam, & honorem Ministrorum Ecclesiæ adducat, summam his auctoritatem conciliet, & reverentiam: hinc ab Episcopo exorditur, transgreditur ad Presbyterium, quod ostendit esse maxime conjunctum Episcopo, & coaptatum, ut chordas citharæ.* Perbelle. Quid vero ab his diversum ego asserui? Nam qua demum ratione Ignatius obedientiam Episcopis apud Ephesios conciliasset, nisi quod illorum regimen a Deo acceperunt? Atqui eadem hæc ratio evincit obedientiam Presbyterio deberi: neque enim deberetur, si huic regendi jus non esset. Quo alio glutino finges, Episcopo Presbyterium esse maxime conjunctum, ut chordas citharæ, nisi sacri ministerii consortio?

Sed eum acumen meum desiderare audio. In quo quæso? Quia me ratiocinantem in hunc modum confingit: *Ergo Presbyteri habent jus pascendi, ut Episcopi, quia pari potestate frangunt panem, pari jurisdictione præsunt.* O mendacium insigne! Ubinam id mihi excidit, mihi, inquam, qui clamare non destiti, Episcopos, ac Presbyteros non eodem modo regere, non parem accepisse a Christo missionem. Pari quidem modo, ac potestate frangunt panem, quia par in utrisque, Eucharistiam quod spectat, potestas Ordinis, ut ipse conceptis verbis habet Anonymus; dissimilis, qua parte jurisdictionem spectat. Illud porro egregium,

eo modo Presbyteros cum Episcopis unum conflare corpus, *sicut omnes Fideles cum Rom. Pontifice constituunt unum corpus*. Nullane alia peculiaris conjunctio? nullane inter Laicos, Clericosque distinctio? Nullus Ecclesiasticus cœtus universim, nullus peculiariter? Nonne ipse inferius paradoxum illud obtrudet, non Canonicos, sed Parochos in unum cum Episcopo corpus coalescere? Ride, si sapis.

Tertium tibi, Lector, objicio momentum pro sententia mea Ignatianum ex epistola ad Magnesianos. Hos jubet S. Martyr cum concordia omnia gerere: *Episcopo præsidente loco Dei, & Presbyterio loco Senatus Apostolici*. *Tractoriis mihi machinis opus fuisse*, irridet Anonymus, *ut invitum hunc, ac reluctantem lapidem ad meam ædificationem cogam*. Machinis me tractoriis indigere non diffiteor, non consecutioni deducendæ, sed ad lapides permovendos ea crassitie, qua est nonnemo. Nam quid ego inde deduxi, nisi, quemadmodum Apostolis neminem regendi jus abjudicaturum crederem, neque Presbyteris denegatum ire. Quid hic longe petitur, quid coactum, quid distortum? Vide, quo se ipse conferat. Ad pervulgatum illud: *comparationes, & similitudines non currere in omnibus*. Sed dic mihi velim, quanam alia in re isthæc instituta comparatio procedat? Episcopos præsidere dixit Ignatius loco Dei. Cur quæso, nisi quia regunt? Eodem pacto præside-

re ait Presbyteros loco Apostolorum. Quorsum hæc iterum *Præsidentia*, nisi Regimen spectat? Acumen potius suum nos desiderare cogit. Quod addit porro, Ignatium pietatis ergo locutum esse, ut ad Theologicum rigorem non sit exigendus, tam futile est, ut refelli non mereatur. Atque is ego sum, qui Ignatium contorsi, qui ad naturalem, litteralemque sensum ejus verba composui?

Piget me humanissimum Lectorem ineptiis hisce morari; sed me miseraturum confido, atque indulgentiorem fore, quod mihi cum homine res modo sit, qui nodum in scirpo quærit. Quarto me loco aggreditur Anonymus in iis Ignatii verbis Epist. ad Magn. *neque vos sine Episcopo, & Presbyteris quidquam agite . . . cum dignissimo Episcopo vestro, & digne contexta spirituali corona Presbyterii vestri*. Et hic dolet, me chartas implere, ac partium studio abripi. At non verbis, confutatione opus est. Quid ille, qui chartas non implet, sed sententias expuit? Quid incorruptus veritatis amator? Augustinum serm. 157. de Tempore Neophitos etiam reponit, gaudium & *coronam* suam appellare citra ullum ministerium. Sed eodem ne sensu Presbyterium Ignatius Episcopi coronam, Neophitos ejusdem coronam vocat Augustinus? Quis id somniavit umquam? Augustini corona Neophiti, quod ejus opera per Baptismum Christo renati, si perseverassent, meritis

Episcopum apud Deum erant cumulaturi: corona Episcopi Presbyterium, quod consortes ejusdem ministerii, si bene se gesserint, Episcopi caput thiara redimerint pretiosissima. Jubet ergo fideles nihil agere sine Episcopo corona isthac circumdato. Vides, quorsum spectet Ignatius; nempe ut nihil a Fidelibus agatur sine Episcopo, ac Presbyteris; exigant actiones suas ad nutum, ac præceptionem Episcopi, ut capitis, Presbyterii, sicut ejus coronæ. Verbo: corona Episcopi Fideles obtemperando, corona Episcopi Presbyteri collaborando.

Sed nondum plane Anonymo satisfactum animadverto. Instat iterum, ac ludos facit; nam jocandi aliquoties incessit eum cupido. Episcopo hic Presbyterium conjungitur in eam sententiam, qua Cœremoniis præfectus diceret *Sacristæ*: Episcopus, ac Thesaurarius Campanas pulsari jubent; vel puellæ insusurret in aures muliercula quædam: *ne cincinnis crinem distinguas, id Episcopo, & Parocho displicet*. Neque Thesaurarium, neque Parochum inde extolli. Quam frigide! Quid hinc conficiet? Nimirum non æquali imperio Episcopum, ac Thesaurarium jubere, non æquo jure Parochum, & Episcopum. Recte sane. Sed locutiones istæ satis in utrisque imperii specimen exhibent, alterum altero majus. Et nonne ipsemet in Parochis regimen, ac præfecturam adstruet? Sed satis scio, cur hic Parochos deprimat; nolebat, sibi pulcherrimam phrasim elabi; *cincinnis caput distinguat*.

Ve-

Verum ludicris parcius uti solet Anonymus, ac nonnisi, ubi itineris lassum oportet aliquantisper respirare. Ipse ergo ad graviora nos revocat; ad Epistolas Ignatii ad Trall.; & Smyr. Ex hisce porro brevissime se expediturum pollicetur; quod illi bene vertat: solet nempe ex festinatione sæpenumero cespitare. Ac mihi pari, si non potiori jure liceat non integrum textum proferre, sed illa tantum, quæ Noster commentando distorquet. Id ego lentissime perficiam, ac si quando properat plus æquo Excursor noster, injecto fræno compescam, ac retinebo.

Presbyteros nominat, Ignatius, *Consessum Dei*; *&* *conjunctionem Apostolorum*. Ergo ille: Tales sunt, *dum non discrepent ab Episcopo*. Subsistamus hic, amabo. Quid si discrepent? Definent esse consessus & Dei; & Apostolorum conjunctio? Tuum id est figmentum, non Ignatii. Neque id Ignatio poterat in mentem venire. Nam quo pacto Presbyteri Consessus Dei sunt, qui Apostolis conjuncti, nisi per divinum, quem in Ordinatione acceperunt, characterem? Is ergo obliterabitur per discrepantiam? Quis æque a Christo Jesu Apostolatus auctore discrepavit, ac Judas? Is porro Apostolatu non excidit, nisi cum prævaricatus est, ut abiret in locum suum, idest, cum abiit sese interemptum suspendio. Sed fac, non convenire isthæc Presbyteris vi characteris, sed jurisdictionis. Discrepent

 pla-

plane ab Episcopo ex Parochis tuis aliquis; num statim jurisdictione mulctabitur?

Et *quod ille docet* (Episcopus), *doceant ipsi*. Id porro necessum est ad Consessus, ac Conjunctionis rationem? Quid si Episcopi prava doceant? quid si a Fide aberrent? Compellentur in doctrinam Episcopi, amissuri aliter locum suum? Lyræ, lyræ. *Ac sic dicetur jure Ecclesiam pasci ab Episcopo, ac Presbyteris, illo præcipiente, his exequentibus*. Sunt ergo Presbyteri in ministerio Episcopo satellites potius, *quam* socii, *ac* Συλλετουργι *Comministri*. Vide quo Parochos tuos demittas; eorum partes non in pascendo, sed in *exequendo* erunt tantummodo? Sunt porro conjuncti Apostolis, quos veros fuisse Pastores quis negaverit. *Illo* (Episcopo) *doctrinam tradente, his communicantibus*. Audivimus modo, satellites esse Episcoporum Presbyteros; nunc urbanius præcones eos facit, qui doctrinam Episcopi promulgent, non impune laturi, si verbo uno decurtaverint. Proh scelus! Quid Ecclesiæ contigisset, si Paulli Samosateni, si Nestorii doctrinam, si Episcopi Augustudunensis nostris diebus communicassent Antiocheni, Constantinopolitani Presbyteri, Augustudunenses Canonici? Qua fronte somnia hæc venditantur? *Quot alias* (quam festiva ratio!) pergit *in uno ovili Pastores! quot in una Cathedra Magistri*! Gregi *Ecclesiam* comparat Christus uni, ovili uni; cujus unum Pastorem

fu-

futurum dicit. Quid inde? Unus erit in tota Ecclesia Episcopus, Pontifex unus? In una Diœcesi unus demum Pastor agnoscetur? Et quo Parochos tuos ablegabimus? Unus ergo in unaquaque Ecclesia primi Ordinis Pastor, plures secundi. Similitudinem denique adhibet Ignatius pulcherrimam istam, *Una enim est caro Dei nostri Iesu Christi, unus Calix in unitatem Sanguinis ipsius, sicut unus Episcopus cum Presbyterio*. Hinc ego mihi recte inferre visus sum; quemadmodum Carni, ac Sanguini Domini una impenditur adoratio, quod nimirum unum sint Domini corpus: ita obedientiam unam toti Presbyterio deberi, quod in unum corpus ex Episcopo, Presbyteris, ac Diaconis coalescit. Ad hæc ille, *similitudines primo apte accipiendas monet*. Dicat ergo, quid in hac similitudine ineptum? Tacet, salva res est. Addit deinde, *nisi mea hæc interpretatio benigne accipiatur, magnum mihi odium conflaturam*. Puto apud sui similes, quibus obfirmata est calumniandi voluntas. Ceteroqui, quis non videat, obedientiam Episcopo, ac Presbyteris debitam unam dici æquivoce, non univoce, ut Logici efferre amant. Quis vero eum ferat afferentem, Presbyterio obedientiam deberi ea ratione prorsus, *qua purpureæ vesti in Rege Regis ergo cervicem inflectimus, ac procumbimus*. Ergone Episcopi ergo obedientiam Presbyteris impendimus? Erit ergo hæc obedientia relativa prorsus, atque

illi

illi similis, qua erga Magistratus Adparitores utimur? Nulla in Presbyteris dignitas insita, ac propria vi characteris, qua præesse vere dicitur Sacerdos? Quis tam indigna de Sacerdotio efferentem non stomachetur? Atqui is est, qui nobis genuinum Ignatii sensum aperit.

Sed nonne dixi ego, Episcopi Adparitores, Presbyteros facere Anonymum? Ne me falsum illi imponere quis suspicetur (nam locum fortassis suspicioni sententiæ absurditas facit), me tutatur Anonymus. Nimirum, cum ex epistola ad Polyc. Presbyteros affirmassem tamquam *Assessores* Episcopo collaborare, quorsum ea dictio spectet, quove sensu accipienda foret, ecce nobis edisserit Magister Noster: *sint ergo Assessores* (Presbyteri), *qui adstent Episcopo, & jussa excipiant, exequantur, promulgent.* Stultus sim, si hæc serio refellam. Plus æquo te, mei gratia, benigne Lector, delassatum video. At ego pro isthoc Anonymum tibi Nostrum deridendum, ac traducendum præbeo.

In

In §. IX.

CASTIGATIO XI.

1. *Occasione testimoniorum Irenæi, & Polycarpi disputatur iterum de pluribus in una Urbe Episcopis, ac de communi utrique Ordini Episcopi nomine.*
2. *Quæ pro mea caussa ex epist. Vienn. ac Lugd. Ecclesiarum excerpsi, frustra impugnat Anonymus.*
3. *Simile quid contingit in Marcionis facto, in Clemente item Alexandrino, & Origene.*

INtegrascit hic disceptatio de pluribus in amplioribus Urbibus Episcopis, & illa alia de Episcopi, ac Presbyteri nomenclatura. Occasionem Anonymus nanciscitur ex duobus testimoniis a me prolatis, Polycarpi scilicet, & Irenæi. Primus ille, cum Fidelibus edixisset: *Subjecti estote Presbyteris, ac Diaconis, sicut Deo, & Christo*, monebam ego, miretur nemo, si Presyterium hic animadvertat sine Episcopo; id fieri, quod priscis illis temporibus Presbyteri nomen utriusque Ordinis Sacerdotibus tribueretur. Meam interpretationem revocat ille ad id, quod supra posuerat, *priscis nempe temporibus, duplicem plerumque Ordinem, Episcopalem scilicet, & Sacerdotalem uni personæ fuisse collatum*. Idne solis priscis temporibus obtinuit? An non modo etiam? Quisnam hodie-

diedum Episcopus consecratur, cui non itidem Presbyteratus conferatur? At hic Presbyter Episcopali auctus consecratione, Episcopi; non Presbyteri sortitur nomen. Sed teneo, quid implexis hisce verbis velit: Plures nimirum una in Urbe eodem tempore, nullo intervallo, statim post Presbyteratum, Episcopatu fuisse inauguratos, ut Populis, quando contigisset cumque ad Ecclesiæ castra venire, continuo Pastores darentur. Id si est, quod statuerat ante, quod hic iterum ponit, jam supra repositum est, merum esse commentum, fabulam veram. Cui rei libet hic etiam addere, Pastores hosce nulli affixos Ecclesiæ rarissimos in antiquitate fuisse, ut vel unum, vel alterum liceat exemplum nancisci, Ordinationes has vagas, quas vocat Chalcedonense, odiosissimas Ecclesiæ semper extitisse, proscriptas eo Concilio velut ab avita alienas disciplina in Clericis inferioribus; quanto magis in summo Sacerdotii apice?

Irenæi porro textum cum recitavi, vidi ego ipse, atque ingenue confessus sum, Presbyterorum nomen, per quos ad nos trasmissas Apostolicas Traditiones ajebat gravissimus ille Pater, posse commode etiam Episcopis congruere. Verum ex antiqua scripturarum consuetudine, quam supra probavi, a Presbyteris etiam in solidum possideri. Excursor meus, & ego satis supra defessi sumus hac concertatione, ille impugnando, ego refellendo. Video tamen non-

dum

dum manum dare. Monet quippe, uti advertam, *eadem vocabula ampliori ſignificatione pluribus, ſtricta autem, & propria uni tantummodo convenire*. Sed dici mihi velim, quo de vocabulo sermonem habeat, *Presbyteri* ne, an *Epiſcopi*? Si de primo, ſatis jam me inter, & ipſum convenit, primi Ordinis Sacerdotes hoc communi vocabulo cenſeri ſolitos, ſi ſcripturis fides ſit. Si de ſecundo, luce meridiana clarius mihi viſus ſum demonſtraſſe, iisdem teſtibus ſcripturis, ſecundi Ordinis Sacerdotibus tributum eſſe, (ut taceam hic de Sacerdotis appellatione etiam nunc Ordini utrique promiſcua.) Nihil ergo priscis illis temporibus diſtinguendum inter vocabulorum iſtorum ampliorem, ſive anguſtiorem acceptionem; promiſcua erant omnino: quod poſſet etiam commode dici de Apoſtolatus nomenclatione. Secutis inde ſæculis Epiſcopi nomen primi gradus Sacerdotibus hæſit, ſecundi vero Presbyteri nomen, ac tum denique factum, ut ſtrictiori, & ampliori harum vocum ſignificationi locus fieret. Hoc totum Anonymi exemplo, quo ipsemet utitur, debeo. Cum nimirum Prætoris nomen pluribus Rom. Reip. Magiſtratibus commune fuerit, temporis lapsu illius peculiare evaſit, qui juri dicundo præerat. Ergo tunc demum ſtricta hujus nominis acceptio invaluit, cum prius generica foret, plures ſub se Magiſtratuum ſpecies complectens. Ea, uti ipse cupiebat, tempora diſtinximus.

Non

Non igitur, cum Presbyteros audio, *mente recurro ad Presbyteros nostros*. Minime gentium. Immo videre potest, hic in Irenæo, me utriusque Ordinis Sacerdotes interpretari. Neque excludi posse Presbyteros in Ordine secundo, patere, ajebam, ex eo, quod, cum de Traditionum Apostolicarum transmissione ageret Irenæus, hos secundi gradus homines illarum assertores acerrimos indigitaturum me in caussa Samosateni, ac Nestorii sponderem. Sed me loco suo adorturum hac de re minitatur Noster.

Pudet me vero ante Excursorem Magistrum meum prodire, dum ea expendit, quæ pro me mutuor ex Epistolis Vienn. ac Lugdun. Ecclesiarum, *nam miserrimus illi videor cibum ex flamma petere, & carbones assatarum carnium vice sumere*. Sed experiri animus est, utrum hi carbones, quos sumpsi, ipsum denique, an me sint exusturi. Et primo quidem in hujus prolatione testimonii eo nitebar, quod Epistolæ totius Cleri ambarum Ecclesiarum nomine conscriptæ sint; ut Episcopos inde excerpere nefas sit. Quod si alterutrius Ecclesiæ Episcopum e vivis sublatum ponas, alterum superesse verosimillimum fuerit; neque aut absentiam, aut persecutionem caufferis; neque enim exinde integrum fuisset Presbyterio, pro more tunc recepto, Pastoris nomen supprimere adhuc superstitis. Atqui Irenæus ibi in epistola *Collega* appellatur. Episcopus ergo Presbyteros suos, qualis tum

Ire-

Irenæus, ea appellatione dignatur. Cur, quæso, n si quia socios in ministerio haberet? Scio, Collegæ nomen parum Anonymum permovere, & multa super hoc nomine cavillari. Sed inferius hac de re, cum me isthuc revocaverit, audiet iterum.

Secundo Presbyteros ajebam, persecutione grassante, sollertia, ac sollicitudine mirabili animos infirmis addidisse, labantes confirmasse, lapsos erexisse; Confessoribus in vincula conjectis, ne quid eis sive ad Animam, sive ad Corpus spectans deesset, indefessos consuluisse. Inde inferebam, hoc aliud non esse, nisi Dominicum Gregem pascere, tutari; sive, ut Christus ait, pro ovibus animam ponere. Quid hic Noster? *Hanc se Dialecticam ignorare* fatetur. Sed minime ignorasset, nisi cum Sannazario suo satis illiberaliter in Platinam jocari maluisset. Faciam tamen, ut intelligat, si velit ad mentem redire. Nam quid demum est pascere, nisi oves agnoscere, verbi Dei prædicatione, ac Sacramentorum administratione reficere, ac confirmare? Hanc certe pascendi notionem Tridentinum nobis suppeditat. Quibus si temporalis accesserit substentatio, tum integra pastio exurget. Hæc cum ita sese habeant, quid est horum, quæ memoravi, quod admirabiles illi non præstiterint Presbyteri, qui fidelium, pauperum præsertim, in Commentarios relata habebant nomina, qui carceres circumibant, consiliis, suasionibus, monitionibus ad perferen-

ferendum Christi Confessoribus animos addebant, qui labantes sustinebant, lapsos erigebant, stantes confirmabant, pecunia sibi in intima custodiarum penetralia aditum patefaciebant, Sacramenta ibi detentis collaturi, cibo denique affatim suppeditato Christi Martyres recreabant? Quid porro amplius facient Episcopi, quibus passionem denegabit nemo, si velint hoc munere digne defungi? Qua fronte *Missionarios nostros, qui regiones excurrunt, cibo spirituali, ac corporali populos recreant*, ea fraudabit gloria, ut jus pascendi cum Episcopo partiantur, Episcopo jus illud cum ipsis benigne communicante? Invidebit Parochis suis hanc laudem, si tales se præbuerint, eaque gesserint, quæ isti Presbyteri? Quis negaverit denique, nisi Anonymus, Sacerdotes illos, quos Magnus Borromæus peste grassante in pietatis opera (quæ eo temporis articulo ad unam ferme Sacramentorum administrationem redibant,) socios vocaverat, plebem pavisse? nam hoc nunc agimus. Neque enim omnia ubique. Non est ergo cur statim excurrat Noster *ad Pastorale regimen*, *ac Plebis gubernationem* extra chorum manifeste saltans. Ex citatis quippe epistolis communem tantummodo pastionem, non regimen intuli. Videat ergo me non de flamma, sed e sacratissima Traditionis mensa sumsisse, quod nisi viderit, veras Dialecticæ regulas edoceri satagat.

Mirabilis in eo Noster est, ut si quando ar-

gu-

gumenti pondere opprimatur, lepida fabella interposita primum, mox indignatus contemptu se expediat. Marcionis ego protuleram factum, qui Romam profectus erat, ut ibi a Presbyterio (vacabat quippe tum Sedes) anathemate solveretur, quo ab Episcopo patre suo fuerat perculsus. Inde ego concludebam, persuasum tum suisse, eo jure Presbyterium pollere, ut Sede vacante, communioni posset hominem restituere. At ille: *vacante Sede Presbyteri Ecclesiis necessitate urgente non consulent?* Si consulere idem illi sonet, ac regere, concordabit sane mecum facillime. Præterquamquod quid hic necessitatem prætendit? Nonne, si nullum in Presbyterio solvendi jus, expectandum respondissent Presbyteri illi Rom. usque ad Pontificis electionem? Agnoscat ergo Anonymus, Rom. Presbyteros, cum solerent vivo Pontifice communicata opera Ecclesiam regere, nunc porro illo sublato jus integrum obtinuisse. Nunc *si eum pigeat in his immorari*, excurrat, festinet, erumpat: nulla erit in me mora.

Sed ecce irrumpit in me *Præsidentium* nomine, ex Justino, ac Tertulliano, Presbyteros honestantem. Et quidem eo nomine Parochos intelligi pollicetur, inferius se monstraturum. Quid si hic ego numquam posse Parochos suos intelligi demonstravero? *Illorum temporum*, subdit ipse, *disciplina ferebat, ut Episcopi Eucharistiam conficerent, nec simplicibus Sacerdotibus id lice-*

bat, nisi absente, vel jubente Episcopo. Atqui Parochi hodierni Eucharistiam conficiunt, absente, præsente, non jubente, immo & invito Episcopo. Præsidentes ergo illi apud Justinum, ac Tertullianum Parochi hodierni esse non possunt. Qui erunt igitur? Presbyteri animarum cura onerati, qui ad nutum Episcopi ex moribus illius ætatis, non Eucharistiam consecrabant solum, sed omnia plane gerebant. Nondum enim invaluerat, ut animarum cura *αυτοκρατικως* sine Episcopi venia administraretur. Ceterum, cum hic de Eucharistia conficienda sermo sit, non video, cur Præsidentium nomen Presbyteris etiam cura immunibus abjudicetur, cum statim ac, Episcopo sive absente, sive jubente, admirabile hoc Sacramentum conficiunt in Sacris Conventibus, hoc ipso populo præsideant, ac benedicant, quæ præfecturæ species est non ignobilis.

Adoritur me porro in Clemente Alexandrino, qui cum similitudinem e cœlesti Hierarchia ad terrenam deflexerit, eaque ego pro Presbyterio usus essem, sic eamdem contra me retorquet: *Angeli*, inquit, *superiores inferioribus divina nunciant mandata, illos mittunt, illis resistunt, ut apud Danielem. Ita & hic Presbyteros illuminant Episcopi, edocentque, tantum abest, ut hos in Fidei controversiis socios agnoscant, illos, quæ agenda sunt, agere jubeant*. Sed argumentum hoc affirmaret Logicus quispiam esse

esse *de non supponente*. Supponit nimirum me cum Clemente Angelos facere inter se prorsus æquales. Quod quis somniavit umquam? Alii aliis sunt superiores, alii aliis præstant. Obtinet tamen unusquisque in Ordine suo principatum: *Angeli, qui non servaverunt principatum suum*, ait Judas Epist. Cath., *ex quolibet* nimirum Ordine. Sic eadem prorsus ratione Episcopis Presbyteri obnoxii sunt; verum in suo gradu principantur, gerunt, administrant cum Episcopo; socios illos Episcopi non abnuunt in controversiis Fidei; iis, quæ agenda sunt imperant, cum tamen Presbyteri ipsi inferioribus, quæ ex usu sunt, præscribunt. Sic etiam in Civili politia (quæ pars erat altera similitudinis) Rex imperat Magistratibus, quibus ipsis in subjectos populos imperium quis sanus denegaverit? In hac secunda parte *e via me excidisse*, affirmat Anonymus, *dum infero, quod sicut in humana Republica quidam imperant, quidam serviunt, &c. dixisset: Principentur Episcopi*. Dispeream, si quivis Œdipus, quid his verbis velit Anonymus, intelligit.

Recrudescit vero pugna in Origene. Is certe προστασιαν, Præsidentiam Presbyteris attribuit. Presbyteros item oculo comparat, quod nempe (ego ajebam) totum Ecclesiæ corpus a Domino tuendum, ac gubernandum susceperit. Immo Origenes ipse, *opera spiritualia per ipsos geri affirmat*. Denuum Presbyteros Apostolis miscet. Ut lu-

culentiſſimo ſeſe teſtimonio expediat, ad grammaticas originationes primo ſe convertit. *Quid præſidere, niſi ſedere ante alios? Quid præſidere, niſi excellere?* Eſto. Nullane alia, præter hanc, vocabuli notio? Nullane in præſidendo poteſtatis, & imperii ſignificatio? Quam miſerum, ac puerile effugium? Vidit ipſemet, ideoque addit, *Sacerdotes præſidere, quod ipſis ſubſint in Eccleſiaſticis functionibus Clerici majores, ac minores*. Id fortaſſe ſatis eſſet; nam quæ ſpecioſior poteſtas ea, quæ in Sacros Miniſtros exercetur? Sed nonne & Populo etiam reliquo quod ad ſpiritualia præſident Presbyteri, cum illos ligant, aut ſolvunt? Actum eſſet de Parochis tuis, ſi illos juriſdictione ſpoliares. Ecce autem, Parochi, homo præſtrenuus, qui cauſſam veſtram agit. Ridiculum porro quod addit: *ſi illud præſidere velis ſtrictiſſime accipere, dicas oportet; quinam ſit in Eccleſiaſtico regimine locus Epiſcopo?* Uno verbo dicam. *Primus, præcipuus*. Ut enim alibi, ſic & in Eccleſiaſtica Politia, Præſides aliis alii, ut diximus, Superiores. Apoſtolos Presbyteris miſcentem Originem, ægerrime primum fert Noſter, & in allegorias effuſum Doctorem ad Theologicum penſum exigi poſſe negat. Sed non Origenes ſolus, ſed Ignatius etiam, aliique certe Allegoriis minime addicti idem factitarunt. At indicet mihi latiorem illum ſenſum, quo me cupiiſſet Origenem accidere. Si regiminis, ac doctrinæ hinc ratio-

nem

nem excerpas, nulla supererit res, in qua Presbyteri Apostolis misceantur. Confugit deinde ad *Majores suos illos Sacerdotes, in quos digitum intendisse Origenem autumat, cum solos Episcopos Apostolorum successores tota vocaverit Antiquitas*. Quam obliviosus est Noster. Ipse docuerat pag. 63. §. 9. *Apostoli vocabulum ampliori significatione pluribus convenire*. Certe Ignatius, cui non latebat Episcopos Apostolis successisse, diserte affirmat, *Episcopos loco Christi praesidere, Presbyteros vero loco Apostolorum*. Hi ergo Presbyteri, quos Apostolis permiscet Ignatius, Episcopi certe non sunt, seu Sacerdotes *Majores*.

In §. X.

CASTIGATIO XII.

1. *Apostolicos Canones incassum mihi eripere conatur Anonymus*.
2. *Nihil promovet vel Apostolicas Constitutiones, vel alios Canones proferens*.
3. *Nihil umquam innovatum in judicio de Episcopali Potestate*.

CErtum est Excursori meo impetu continenti me prosequi, quo me cumque recipiam, atque inde pro viribus exturbare. Ex Apostolicis ego Canonibus caussae meae patrocinium conquisieram, cum ecce inter-

di-

dicit ipse, & ſeſe ab illis minime metuere, mihi vere eos non mediocriter incommodare ſignificat. Quapropter primum pro me dicam, deinde hunc hominem agitabo. Episcopus, vel Presbyter, qui Cleri, vel populi curam non gerit, segregandus; ac in socordia ſi perseveret, deponendus dicitur Can. 57. Vel bardus videt, me hunc Canonem producentem ad ea attendiſſe verba, quibus Cleri, populique cura Presbyteris adjudicatur; minime de pœna sollicitum, qua in ejus socordiam animadvertatur. Quid ergo ille, ut hinc ſeſe expediat? *An Epiſcopus, & Preſbyter eodem modo, eodemque jure curam gerunt?* Qui, bone, id contra me, qui ubique prædico, Presbyteros sub Episcopis, & cum Episcopis curam gerere? Sed solemne eſt homini contra umbras decertare.

Cedro dignum Can. 34. prædicat edicentem, ne Episcopus præter omnium sententiam quidpiam agat, *optimum conſilium, & omni veneratione dignum exhibere. Conſilium tamen?* Dic, sodes, unde tibi demum conſtitit, hic merum conſilium exhiberi? Si pro arbitrio libeat interpretari, ad conſilium quoque referam & ego Can. 40. quem pro te producis: *Presbyteri, & Diaconi nihil agere pertentent*. Eadem ubique locutionis ratio. Non eſſe porro conſilii loco id accipiendum, sed ex disciplinæ neceſſitate, aperte Canon Africanus teſtatur, irritum decernens, ſi quid Episcopus ſine Cleri præ-

ſen-

sentia decreverit. *At si sic accipies in Presbyterianorum castra confugies*. Satis novi palmarium hoc esse tuum, ut cum ignores, quo te modo extrices, Religionis metu me deterreas. Verumtamen ego te depalmabo. Nostin Presbyterianorum insaniam? An edoceri te oportet in eo præter cetera istorum situm capitalem errorem, ut Episcopatum abrogarent, omnes Presbyteros esse inter sese æquales? Quid cum Presbyterianis commune homini, qui contentissima voce exclamat ubique, Episcopos jure divino Presbyteris præstare: docetque iterum ex vi disciplinæ, cujus Episcopi ipsi in Conciliis auctores, illis interdictum esse quidpiam præter omnium sententiam agere.

Excutiam modo, quæ pro te affers. Canonem 30. primo loco producis: *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat*. Quis id inficiabitur? Quæstio huc redit, num solus, an cum Presbyterio simul. Id Canon non excludit, nec poterat, sibi si constare vellent harum legum conditores; alias secum pugnarent Can.30, ac 34. Idem responsum adhibeto Can. 41. præcipienti, *ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat*; immo ibi diserte memorantur Presbyteri, ac Diaconi, quorum ministerio in hujusmodi rerum erogatione Episcopo utendum est. Profers demum Can. 47. 49. 50. *Episcopis præscribentes quædam in ministratione Baptismi observanda*, Vide nunc mihi quid dicas. Canones certe isti

Episcopos nominantes in Baptismi ministerio, certe Presbyteros non excludunt. Ceteri ergo, quos attulisti, Presbyteros ab eorumdem consortio minime expungunt.

Relictis interim Apostolicis hisce Canonibus, qui parum sane ipsi proficiunt, ad alios excurrit, nescio utrum illi melius profuturos. Præesse omnibus hominibus Episcopos, habent Constitutiones Apostolicæ lib. 2. Cap. 2. *Sacerdotibus, Regibus, Magistratibus*. Uno verbo: o homo quid ad rem? Quid ad rem, cum Cypriano fidis dicenti, *Episcopum judicem a Deo datum, & Ecclesiæ gubernatorem; hæreses, & Schismata inde oborta, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, contemnitur?* Quis horum quid negavit, Episcopum judicem, Ecclesiæ gubernatorem, ei præesse, unum esse? Sed numquid ait Cyprianus unum Episcopum solitarie Ecclesiæ præesse? Schismata & hæreses inde obortæ, cum plures pari potestate, & imperio ambiunt præesse. Dionysius Alex. apud Euseb. lib 6. cap. 34. te perimit omnino. Quid enim ille? Presbyteris præcipit, *ut lapsis sub exitum vitæ communionem darent*. Cur, amabo, nisi quia illos administrationis, ac regiminis socios habebat, ita tamen, ut ejus Episcopi potiores partes forent? His similia repono verbis, quæ ex Chrysostomo recitas.

Simili me ratione expediam, ubi ex Laodicæna, Ancyrana, Gangrensi, immo & ex Nicæna Synodis negotium mihi facessere sata-

ta-

tagis. Cum nempe Concilia isthæc publicæ pœnitentiæ curam, communionis repræsentandæ potestatem in Episcopum conferant; nihil adhuc caussæ meæ officiunt, nisi contra probetur ab Episcopi consortio Presbyterium excludi. Nihil simile in Canonibus illis. Immo contrarium evincitur, ex Cypriano potissimum, qui nihil umquam de lapsorum reconciliatione se statuturum edixit, nisi communicatis cum suo Clero consiliis: ut inferius. Quod ideo addendum putavi, ut innotescat, qua diligentia Noster Anonymus Epochas figat, qui innovatum in hac disciplina Chrysostomi demum ætate satis peremptorie pro more suo statuit. *Hæc in unum collegi*, inquit, *ut facile cognoscatur Ecclesiæ illis temporibus usque ad Chrysostomi ætatem, in qua nondum innovationibus patuit accessus, de Episcopi potestate judicium*. Jam res ipsa, ut monuimus, falsa est. Sed ain tu, innovatum in Ecclesiæ judicio de Episcoporum potestate? Quis ille est impius, quis sacrilegus, qui id attentatavit? Cur Ecclesia tacuit? cur Episcopi, potestate sua decurtata, atque in Presbyteros per summum nefas translata, tacuerunt, passi sunt, non reclamarunt? Atqui hoc argumento me impetebas pag. 34. cum Presbyteris partem ullam in Conciliis esse negabas; *alias relicti potuissent hoc nomine in omnes Constitutiones Ecclesiæ insurgere, illasque irritas, ut legitima sollemnitate destitutas*. Nonne eodem pacto detonuissent Episcopi in no-

novas editas Constitutiones, non ab se solis; sed a toto conjunctim Presbyterio. *Innovatum est in Ecclesiæ judicio de Episcoporum potestate*. O vox sacrilega, homine Protestante digna! Nonne infallibile hoc judicium Ecclesiæ est de Episcoporum potestate? Quis innovavit? Orthodoxus aliquis? Quis credat? Hæreticus? cedo nomen. Dum hoc quæris, ego ad alia me confero.

In §. XI.

CASTIGATIO XIII.

1. *Cyprianum sibi infestum dum alio convertere nititur Noster, ipse se implicat, ac sæpe sibi contradicit.*
2. *Misere se distorquet, ut Cyprianum omnia cum Clero expedientem, ex indulgentia, non ex tunc vigente disciplina id egisse ostendat.*

AD preces præter consuetudinem demittit se Noster, cumque de Cypriano ambo acturi simus, rogat me uti, ea, *quæ ipse superius ex Cypriano attulit de Episcopi dignitate, & potestate; cum his, quæ ego de Presbyterio defero, componam, & an illis positis mea stare queant, examinem*. Ego porro illi jamdudum gessi morem, examinavi, expendi, pensitavi; atque utraque recto stare talo, etsi superius respondi, adhuc ube-

uberius suarum occasione animadversionum, patefaciam.

Quo ergo sensu accipienda singula sint, quæ ego ex Cypriano pro mea excerpsi caussa, *quin ea omnia exscribat, ex ipso affirmat constare Cypriano*. Nonne, ait, Cyprianus ipse palam edicit, *se ab initio Episcopatus sui statuisse, nihil sine consilio eorum* (Presbyterorum) *& sine plebis consensu sua privatim sententia gerere*. Epist. 5. Ita sane. Quid tu modo? *Si ipse statuit, jam non jure cogente, sed voluntarius elegit: Juri obedimus, nihil ipsi pronunciamus*. Sed pulchrum nostrum ratiocinatorem meminisse oportebat, se in Horarum Canonicarum recitatione, quotidie cum Propheta pronunciare: *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Liberum ergo erat Prophetæ non custodire judicia Dei? Voluntarius id elegit nullo jure cogente? Discat hinc, etiam voluntarie fieri, quæ jure cogente sunt facienda. At inquit Cyprianus *sine consilio eorum, sine Plebis consensu. Plus Plebi, quam Presbyterio? Immane quantum consilio antistet consensus*. Sed quid a me demum edoceri cupis, quod te apprime callere certum teneo? Consilium numquam Plebi convenit; nam hujus incapax omnino. Consensus in aliquibus, ut ecce ex multis unum, interdictum per Canones erat, ne Episcopus, ne Presbyter invitis daretur. Ecce ille plebis consensus, qui ex ipso descendit jure.

Sed quoniam aliam ego solvendo nodo viam

viam institeram, addideramque; *qui valuerit ille Plebis consensus, infra videbimus*; hic ea in antecessum Noster ad trutinam expendit. Nec ego id abnuo. Eccum me. Tria ergo rata esse volebam, ac fixa: 1. Nullo mandato divino præscriptam Plebis vocationem, quia alias Ecclesia numquam quidpiam contra jus divinum ausa foret: 2. Diversa plane ratione, Presbyterium, ac Plebem convenisse, ut Plebs nimirum testimonio, Clerus judicio suffragaretur; Cyprianum do vadem cit. Epist. *Instruit: & ostendit Deus, Ordinationes Sacerdotales, non nisi sub Populi assistentis conscientia fieri oportere, ut Plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa, quæ omnium suffragio, & judicio fuerit examinata*. In quem locum Natalis Alex. Histor. Sæcul. 1. Disc. 8. *Distributive accipienda sunt illa verba, ut suffragium, sive testimonium pertineat ad Plebem, judicium vero ad Clerum; & Episcopum*. 3. Ideo lapsorum caussam apud Plebem quoque actam fuisse, ut quorum nempe defectione fuerant offensi, pœnitentia erigerentur.... Ut qui testes criminum fuerant, emendationis itidem dicerent testimonium.

Hæc ibi: neque enim defugio auctoritatem. Sed quid tu contra? Licere tibi vis ad nodum solvendum, atque amovendos ab Electionibus Presbyteros, eo uti effugio, quod ego adhibui ad submovendam Plebem, nem-

nempe nullo mandato divino præscriptam ad id opus Presbyterii vocationem. Utere porro, quod tibi vertat bene. Neque enim ego usquam rem hujusmodi ad divinum aliquod præceptum retuli. Cum ergo urges vehementissime: *Estne ad manus divinum illud mandatum, quo ejusmodi præcipiatur consensus? In quibus tabulariis asservatur? Et si est, dic, quomodo Ecclesia ausa fuit contra hoc divinum mandatum in caussa Presbyterorum, quod in vilis populi caussa non esset ausa?* Umbratilem hostem summo impetu aggrederis. Vin scire, contra quem acres hujusmodi expostulationes sint intendendæ? Dicam aperte. Contra Cyprianum illum, quem tu omnium sæculorum admirationibus, ac prædicationibus dignissimum paullo ante afferebas. (Videsis, num tu cuiquam parcas amico) Apud illum divini hujus juris mentio est. Verum pro Magno Cypriano docebunt te Theologi, divinum jus vel *præceptivum* esse, vel *exemplare*, uti loqui amant. Illud nulla humana potestate solvi umquam posse. Istud non item, cum ad disciplinam pertineat. Et quidem tibi os obstruent, ut cetera prætercam, ex Tridentino docente, Ecclesiastici Ordinis Viros, res, Templa, aliaque Deo dicata, *divina Ordinatione Immunitatis* privilegio potiri. Quo jure, quæso, nisi *exemplari*, a veteri Instrumento petito exemplo; nam, nisi ita foret, potuisset *Immunitatis* negotium tot subire vices? De

Exem-

Exemplari porro Jure Cyprianum accipiendum esse, ipse tibi dux est. Ait nimirum: *Instruit*, & *ostendit Deus*; ergo non præcipit: mox te ad vetus revocat Testamentum, & ad Novum, ubi nulla præceptione positiva factum imperatur.

Ergone, replicas, *injusta illa ordinatio, quæ omnium suffragio, & judicio non fuerit examinata?* Quid me interrogas? Cyprianum interroga, apud quem res est hisce conceptis verbis. Vide, qua via elabi possis: certe tibi totum exedendum est. Commendas Natalis pietatem pro illa sua partitione distributiva. Bene sane: gratias tibi credo habiturum illum ingentes; nam non facile, nisi per jocum, commendas. Quid porro valet nova isthæc tua interrogatio: *Nihil-ne juris Plebi conciliat suffragium illud?* Vis tertio jam audire, Plebi jus ex veteri disciplina fuisse, ut ne Pastorem invita acciperet; ideoque ejus expetitum suffragium: quod in Electione Matthiæ usurpatum primo, non modico deinceps temporis spatio in Ecclesia obtinuit. Iam nunc explicaturus Cyprianum Anonymus, qui non modice illi incommodat, consuetum suum locum tractat; illum nempe de jure concessisse suo, & plusculum suis detulisse Presbyteris. Hæc vero satis, superque superius occupata sunt, ac Cypriani testimonia recensentes eamdem Nostri sententiam acrius castigabimus. Interea vide, quid invenerit, ut ex angustiis evadat, in quas Cypriani verbulo uno con-

ji-

jectus est. Ajebat ergo SS. Præsul de Fortunato, ac Philumeno restituendis, non posse se solum illi rei judicium dare, cum multi de Clero abessent. *Non potui*, inquit: *Officii plenissima vox est, ut si velles me convivam adducere, ego reponerem, non possum; vel si te rogarem, ne nimius esses in libris versandis, responderes, non possum. Quis de absoluta hæc putaret accipienda impotentia?* Nunc accipe. Si propudiosum hominem rogares in libidines proclivem, uti se contineret, reponeret ille: non possum; acciperesne id de absoluta impotentia, an potius de morali? Illa nimirum absoluta dicitur impotentia, cum quid sive physice, sive moraliter fieri omnino nequit. Cum invitatus a te respondet, non possum, cum istud verbum studiosus ingeminat, satis ipse agnoscis, non de absoluta, sed de morali loqui impotentia. Si ergo in ea, quæ a nobis unis pendent, cadit moralis ista locutio: *non possum*; quanto magis illa, quæ partim a nostro, partim ab alieno pendent arbitrio? Non poterat Cyprianus, quia ex temporis illius disciplina solus non poterat. Sed urges: *Ceterum valeret argumentum, si Cypriano volenti obstitisset Clerus.* Id demum quæris? Et id dabitur, non in Cypriano quidem; nulla enim tum opportuna se dedit occasio; sed in Eugenio Pontifice Maximo, cui restitit Clerus, Populusque Rom. veritus, ne Petri Constantinopolitani hæretici hominis acciperet epistolas. De hoc iterum infra.

Dixeram ego iterum, si quam sententiam solitarius ipse (Cyprianus) protulisset, ipsummet jubere *provisoriam* esse, non definitivam; ac verba Cypriani huc facientia adtexui. Anonymus Noster eumdem solitum sensum suum benignitatis, & indulgentiæ hic nos vult accomodare; *nisi jus ligandi, & solvendi velis ab Episcopali potestate remotum*. Certe characteri Episcopali, perinde ac Sacerdotali inhæret ligandi, atque solvendi potestas. Potestne, amabo, aliquid Ecclesia præscribere Episcopis, ac Presbyteris, quibus hujus potestatis usus exeratur; cui præceptioni nisi obtemperetur, usus hujusmodi inhibeatur? Id nisi inficiaberis (quod sane non potes) concedes etiam illæso ligandi, ac solvendi jure, potuisse Ecclesiam Episcopos jubere, in lapsorum reconciliatione Presbyterii consilium adhibere. Mones me porro, ne ad alienum sensum detorqueam, quod Cyprianus affirmat *de impositione manus Episcopi, & Cleri; ne scilicet reponat aliquis, invalide Diaconos inaugurari Sacerdotes, si Presbyterorum manus imponentium cum Episcopo præsentia desit*. Nil periculi est: nam præter te nemo id est umquam repositurus: norunt quippe Eruditi ad unum, hic agi de impositione manus reconciliatoria, quam moris erat, per Clerum, sive Presbyteros una cum Episcopo fieri.

Sed jam incipit Noster labascere: in meam sententiam si non plane descendit, inclinat

sal-

saltem: Nam cum dixissem, Cyprianum in restituendis lapsis, Cleri sui oblitum minime fuisse, ea disputat, quæ non modo (contra quod asserit ipse) ad rem faciunt, verum etiam rationes suppeditant, cur demum Ecclesia omnia simul communicatis Consiliis ab Episcopis, ac Presbyterio expediri mandaverit. *De recipiendis lapsis*, ait, *nec inter Episcopos, nec inter Presbyteros congruebat* (Ergo Presbyteri ex illis erant, qui super hoc consultabant). *Nimius in aliis rigor, alios nimia tenebat indulgentia: illi rejiciendos omnino clamabant, leviculas alii satisfactiones decernebant. An tu in tanta re solus pronunciasses? Nec quis Romanæ, quis aliarum Ecclesiarum sensus esset, diligentissime explorasses?* Macte, bone vir, macte. Quid aliud hic nos doces, nisi rectissime per Canones constitutum, ne unius arbitrio res graviores permitterentur, sed collatis Consiliis potius gererentur? Prudentiam eamdem vis nos animadvertere in Clero Rom., cujus consonans incomparabili Cypriano exhilarat te responsio ad eumdem: *Placet collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus . . . . adstantibus Laicis lapsorum tractare rationem. Scite*, pergit porro, *Rom. Clerus sic loquitur, nam cum de lapsorum caussa in diversas iretur sententias, quid facto opus esset, communi constabilire consilio æquum videbatur, ut decisio cum plausu exciperetur*. Ergo tunc cum plausu decisio demum excipitur, cum communi consi-

 lio,

lio, quod facto opus est, constabilitur. Atque huc sane digitum intendi, cum Ecclesiastica decreta tunc tibi firmitatem vindicare asserui, si plurimorum sint consensione munita; quod perinde est, ac si dixissem, firmas esse Ecclesiasticas leges, in quas plurimorum conspirat consensio, quod tum facilius illis adhæreant subditi, cum ipsi sibi eas statuisse videantur. Ex quo non sequitur in subditis me legislativam ullam potestatem agnovisse; ut minime te ad conturbationem inclinantem opus fuerit Gratiani effato vel te recreare, vel mihi excusationem conquirere.

Sed illum rectissime disputantem audire pergamus. *Mitissimum piæ Matris Ecclesiæ spiritum ad pœnas ægerrime descendentem, tum ejusdem in promovendis ad Sacros Ordines diligentiam attendit*. Quomodo tibi, quæso, Spiritus hic locutus est, nisi in Sacris, qui prostant, Canonibus? *Non mirabimur*, subdit, *Magnum Cyprianum, aliosque etiam sequentibus sæculis Episcopos, ubi de interdicenda agendum esset communione, tantam rem noluisse ipsos solitarios transigere*. Eumdem scilicet Spiritum secuti, qui vel per Scripturas, vel per Canones loquebantur. *Cumque nullus, nisi plene discussus*, ut loquitur Isidorus Offic. 2. *debeat* (excommunicationis) *pœna mulctari, jure Episcopi, ne ex odio, aut indignatione huc venire viderentur, crimina, ob quæ erat tanta pœna infligenda, volebant* (sacris legibus edocti) *per plures dis-*

scuti, *& examinari*. Nihil aptius, nihil concinnius, nihil verius dici poterat; ut mihi jure doleat, quod hisce e principiis pessime concludat in hunc modum: *Non ignorantes ceteroqui suum esse ad definitivam sententiam procedere. Nec illa Præsbyterorum præsentia roboris aliquid sententiæ addebat, sed ad solemnitatem, & justum quoque terrorem ingenerandum erat non mediocriter opportuna*. Hic certe homo ad insaniam nos adiget. Ubi, amabo, auditum est umquam ab alio crimina discuti, examinari, ab alio decisivam pronunciari sententiam? Si ad Episcopum spectat sententia definitiva, nonne oportebat ipsum discutere, examinare? Alias qui potuisset recte pronuntiare? Si porro is cum Presbyteris discutit, examinat, (quæ res judicium præcedunt) cum Presbyteris quoque definit, pronuntiat. Quæ animadversio illud etiam manifeste refellit, ad solemnitatem scilicet nudam, vel ingerendum terrorem Presbyterorum præsentiam adhibitam. Nam non nudam præsentiam exhibent hic Presbyteri, sed examinant etiam, ac discutiunt. Mox ad mentem redit: *Ad sacras Ordinationes quod attinet, utilissimum profecto fuit, eos ad Ecclesiæ ministerium adsciscere, quos Presbyterorum JUDICIUM, & Plebis TESTIMONIUM probaret*. Quare ergo, paulo ante, mecum hac de re acriter concertasti? Nonne tu ipse, uti nos Natalis docuerat, in Clero judicium, in Plebe testimonium agnoscis? Cur tantopere in cle-

vandis argumentis meis, Plebem mihi semper obtrudis, ut in pari conditione & Presbyterii, ac Plebis præsentiam esse obtendas! Fac bone, istud tuum memineris, ne sæpe me recocta crambe Lectori incommodare cogas.

Sed jam totius disputationis cardinem ipsum impetit. Cyprianum, ajebam ego, hujusmodi Disciplinam ad primæva revocare Apostolica tempora. Ita sane. Quid tu benignitatis Magister? *Nisi Cyprianum benigna interpretatione accipias, vide quo progrediaris.* Egone, an Cyprianus ipse? Sed quo progredior, sodes? *Ergo divini mandati prævaricatrix Ecclesia, quæ ab illa disciplina recessit.* Væ Cypriano, nisi in hujus benignas incidisset manus, qui illum comiter habeat, ac comiter tractet. Verum nil suo opus est interpretamento, cum satis compertum sit, quod de jure Cyprianus accipiendus sit, uti paullo ante uberius edisserui. Nec ipse Noster dissentit: *Nec ad Ss. Martyris*, inquit, *horremus effata ad divina Magisteria rem hanc revocantis, cum non omnia, quæ Christus gessit, neque quæcumque ordinarunt Apostoli, nobis præcepta censere debeamus, nec ipse Christus, vel Apostoli, quæ nobis præstantissima dederunt exempla, sub legis voluerunt inclusa rigore.* Si ipse ergo jus hoc *exemplare* mutationi tamen obnoxium agnoscit, cur tantas opus erat de mutatione tragedias excitare! Illud vero diffiteri non poterit magnam in Magisterio divino Christi, & Apostolorum vim inesse.

Sed

Sed me altius insurgentem intueri, ac solitæ benignitatis oblitum acerbissime adversarios excipere sibi videtur Anonymus. Nihil minus, nihil ab ingenio alienius meo, nihil in verbis meis, unde liceat id conjectari. Non ego cum illo apud Terentium: *O Cœlum, o terra, o maria Neptuni*; sed tantum: *id enim falsissime, aut, ut levius dicam, temere affirmari contendo*, (benignitati scilicet dandum, non disciplinæ tunc vigenti Presbyterii consulendi necessitatem). Sed novi, quid rei id demum sit: noluit Luciani dictum perdere, scurræ inquam Luciani; *o Jupiter iratus es: ratio te destituit*. Sed videamus, utrum nostrum destituerit ratio: nam gravissimos Theologos in contrarium abeuntes, (si qui præter ipsum sint,) certe non læsi, si eorum sententiæ falsitatis, aut temeritatis notam adpinxerim; nam nihil est in singulis ab omni parte beatum. Ergo ego, *qua ratione id instituti singulariter Cypriano tribuemus, cum Cyprianus ipse testis sit, hoc item Romæ, quæ Ecclesiarum instar est amplissimum, obtinere*. Ad quæ tu: *Et quis dixit singulariter* Cypriano *id institutum tribuendum? An uno Cypriano se tunc gloriari poterat Ecclesia? . . . An Episcopos omnes illo superbiæ tumore inflatos suspicaberis, qui nihil cum Presbyteris suis communicatum vellent, solos se Magistros in Israel jactarent, nullius se consilio egere profiterentur? . . . Non ergo singularis in divino illo suam Ecclesiam regendi more*

 Cy-

Cyprianus fuit. Præiverant ipsi alii quamplures. Romæ Cornelius non dissimili arte Ecclesiæ clavum regebat. Quis non Firmilianum laudibus ad Cœlum ferat, qui per singulos annos cum Episcopis, ac Presbyteris in unum convenientibus, sedulo quæ curæ suæ commissa erant dispiciebat, ut si quæ graviora essent, communi consilio dirigerentur. Habes ergo Cornelium, habes Firmilianum Cypriani socios; nec poterat sapientius, suaviusque res Ecclesiæ publica tractari. Vide quam mirifice mecum convenias, ut prævaricatus caussam tradidisse mihi videaris. Nam quid hic restat, nisi ut illud, satis quidem tralatitium, sed huc tamen apprime faciens, in te intorqueam. Quod Romæ, quod in Africa, quod in Asia (una deest America; nondum quippe jam innotuerat), quod apud Principes Ecclesias receptum est, id vere Catholicum, & Œcumenicum. Non ergo unius, aut alterius Antistitis pietati, & humanitati adscribendum est, ut convocetur ad res majores Presbyterium, sed disciplinæ eo articulo ubique vigenti. Merito ergo Firmilianus *necessario id fieri* pronuntiat: merito conceptis verbis *ad Ecclesiasticam disciplinam refert* Cyprianus. Dicit *expectare consilium, ac sententiam omnium nolle præjudicare, & solus rem communem vindicare* non audet.

Quid attinebat porro, ut scrupulum mi adimeres omnem, admonere me, loqui Firmilianum, ac Cyprianum de Conciliis Episcoporum. Hoc pacto scrupulum mihi potius

in

in intimas adigis medullas. *Nam & illis Conventibus Presbyteros etiam adfuisse non abnuis; videre te id affirmas in Firmiliano, ac Cypriano, aliisque*. Recte sane, nam negari non potest. Quæ ergo in his conventibus Presbyterorum partes? *Hos ab Episcoporum ore*, subdis, *pendere mihi videor videre*. Ubi sunt ergo Theologi illi, quos in Synodis etiam Œcumenicis suffragium *Doctrinale* habere superius affirmabas; *si tamquam Discipuli Magistris adhærent*, non ad Concilium, sed ad litterarium ludum conveniebant: Præire *illos* (Episcopos), *hos* (Presbyteros) fideliter *sequi*. Quid si Nestorius quispiam; quid si Samosatenus præissent? pecudum more Presbyteros sequi demum te auctore oportuisset? quæ somnia, quæ deliramenta! cuinam id hactenus homini sano in mentem venit? Et pergis adhuc *hoc sensu accipiendum Lucium ajentem, Fortunatum, & Felicissimum non a solis Episcopis judicatos; sed a Presbyteris, & Diaconis, nisi plura optatis habere velim, & Diaconos Presbyteris pares efficere*. O comparationem insulsissimam! Sunt-ne Episcopis pares Presbyteri sub ipsis judicantes? Quomodo erunt ergo Presbyteris pares Diaconi, si & ipsi sub illis ordine suo judicent? Odium in me omnium Ordinum ciere studet Anonymus: Episcopis Presbyteros pares me fecisse toto spiritu huc usque clamavit; nunc porro Presbyteris infensum reddit, quod iis Diaconos æquare contendam.

 Ve-

Verum damnatos a Presbyteris errores Synodica ſcripta proclamant? Solis-ne? Non, ſed cum Epiſcopis. Cum ſanus es, nullus hominum te melius. Ergo apud te in confeſſo a Presbyteris errores damnatos, & id Synodica proclamare. Sed hoc ipſum non inferius multo pernegaturus es. Velim ne memoria excideret; ſed meum erit, ut ſuggeram. Errores igitur a Presbyteris damnati ſunt, ſed non ſolis, ſed cum Episcopis. Mecum optime congruis, ut te non adverſarium, ſed ſuffragatorem benigniſſimum agnoſcam. *Ergo,* concludis, *commoda diſtributione id debemus accipere. Errores ſcilicet anathemate ab Epiſcopis, quorum jus erat, confixos, a Presbyteris inprobatos quoque, & anathematizatos.* Si hæc ταυτολογια non eſt, dicant Grammatici, quid ſit? Nam quid tu diſcrimen ſtatuis inter anathemate configere, & anathematizare? Iuterim, dum tecum id reputas, ad alia ſtilum converto.

In

In §. XII.

CASTIGATIO XIV.

1. *De Cypriani secessione agitur, ejusque muneri Succedaneo Clero. Futilis Anonymi impugnatio.*
2. *Ex more sibi contradicit.*

AD Cyprianicam secessionem excurrendum est modo. Hujus occasione, cum minime eam æqui, bonique Clerus Rom. consuluisset, ad Carthaginense Presbyterium litteras dedit gravissimas, quibus, quod ad rem nostram attinet, illius excitat sollertiam, ne quid Pastore absente, Christi Grex damni pateretur; invigilarent ergo, omnesque nervos industriæ intenderent, ut ne ovibus Pastor ulla in re deesse videretur. Hic ego, quod prono alveo fluere videbatur, animadvertendum censui, Pastoralem nempe curam in solidum a toto Presbyterio possideri, atque alterutrius partis negligentiam, aut socordiam alterius vigilantia, atque accuratione suppleri. Hoc stomachum Nostro movit. Ilicet paratæ lites, succurrendum est.

Ac Logices primum imperitiam criminatur. *Mira*, inquit, *a genere in genus transitio; & quod necessitate cogente justum, laudabile, legitimum, idipsum ad omne tempus velle transferre*. Itane tandem? Sed immeritissime quidem. Nempe ego non de genere

re in genus, sed de genere ad speciem excurri. Posueram in omnibus gravioribus rebus generice Episcopis Presbyterium oportere adesse: nunc porro ad speciem descendo, & adesse imprimis, ubi Pastoris vel præsentia, vel diligentia desideratur: Deinde discere a te vellem, si justum, si laudabile, si legitimum Presbyterium Ecclesiæ procurationi se admiscere necessitate urgente, cur non id etiam obtinebit ea sublata? Nam qui fingi potest legitima hæc procuratio, nisi lege permittente? Rogatum ergo te velim, ut legem aliquam proferas, quæ Presbyteris hanc facultatem faciat in necessitatis articulo, adimat eo elapso: Emoriar, si quid simile reperias.

Sed nonne cæso in acie Imperatore, qui supersunt minores Duces accipiunt impigre, quæ illius erant munera? Recte sane. Sed agnoscis primo tu ipse præter Imperatorem Duces minores, agnoscis illos sub isto vivente exercitum imperare, ducere, jubere, militiæ res procurare. Presbyteri porro sunt hi minores duces, quibus isthæc conveniunt. Non diffiteberis deinde militares leges id ferre, ut Imperatori mortuo in acie, non milites quicumque, sed Duces succedant in muneribus, ut quemadmodum vivo illo communi studio exercitui consulebant, nunc demum e vivis sublato totum imperium in Minorum Ducum consolidaretur Concilium. Confiteris tertio tu ipse *inter gladios furentis persecutionis laborantibus adesse impavide,*

illos

illos hortari, carceribus detentos invisere, ad Fidei confessionem inflammare (addere oportebat ea omnia, quæ proprius præstitisset Pastor, nam ad id omne Carth. Presbyteros incitabant Romani, exceptis Sacramentis tantum Episcopali characteri innexis) *Presbyterorum vel præsente, vel absente Episcopo partes esse*. Ergo si omnia isthæc Pastorali regimine continentur, nulla in re demum a me discordabis. Quid quod ea *sibi Sacerdotalem characterem vindicare* affirmas; *illius hæc omnia consectaria esse*? Sed vide, ne tibi quis de jurisdictione ad plura ejusmodi necessaria litem tibi intentet.

Antiochenos mox Presbyteros, ac Constantinopolitanos acerrimos Fidei Assertores contra Samosatenum, ac Nestorium ludibundus aggreditur Noster, eorumque laudibus contra fas omne extenuando obtrectat. Sinamus illum ludionem agere; meis vindiciis illi certe non egent. Quid contra me habeat, dispiciamus. Concedit ultro *SS. Episcopos, Presbyteros in sollicitudinis partem vocasse, hos tunc conjunctim cum Episcopis pro gregis custodia advigilasse, christiana humilitate impellente*. Ergo absque ea esset, potuissent ipsi per se soli omnia gerere, potuissent Presbyteros inutiles truncos efficere, quidni, & ab Ecclesia dispungere. Quod si fieret, cui bono hic ordo a Christo est institutus? His benigne concessis, non patitur *me eo avolare, ut putem Presbyteros veluti frænum Episcoporum ori inditos*,

ditos, ut eos in officio continerent; ut iis monitoribus illi, si quid humani paterentur, resipiscerent, haberetque in ipsis præsidium Ecclesia, ne quid exinde caperet detrimenti. Sed egone huc denique avolavi? Nonne Canones ipsi, quorum Episcopi conditores, hoc fræno coercitam quodammodo voluerunt Episcopalem potestatem, illuc certe respicientes, ne quid humani unus homo pati posset, ut exempla satis tristia nos faciunt certiores? Nonne *hunc zelum*, id studii *in Popello* demiratur in facto Eugenii, de quo aliqua superius delibata, plura infra suo loco dabuntur?

Hoc quid est, pergit, nisi constituere Discipulos super Magistros, Filiis parentes subjicere, Episcopalem, quam sæpissime Apostolicam dico, auctoritatem enervare, ac non sub Episcopo, sed supra Episcopos Presbyterorum collocare potestatem? Nihil hujusmodi, bone vir; nam millies audisti, id Presbyteris non licere nisi per Canones. Quamvis in re, qua de agimus, non puto ad hos confugiendum. Nam nec patria potestas impetitur, fiuntque parentibus filii potiores, si peccantibus illis obsistant reverenter Filii; neque auctoritas, si Magistris errantibus id faciant Discipuli, si demum erga Episcopos ab instituto decedentes id præstent Presbyteri, quod Petro Apostolorum Principi non recte ad veritatem Evangelii ambulanti Paullus certe minor præstitit.

Sed

Sed vide; amabo, quam tibi ipse parum constes; nam quod mihi modo maximo crimini dabas, id summæ laudi ipsis *Mexicanis* Presbyteris, qui nil de Episcopo suo audierint, prolixa oratione vertis. *Age, dic sodes, tantum Fidei periculum otiosi innoxie adspexissent? Nullæne vi Sacerdotalis muneris in eo casu illorum partes? . . . Non eos, ut avitæ doctrinæ proditores, Fidei perduelles traduxissent? Non vicinis Episcopis detulissent? . . . Restitissent optimi Presbyteri summo ipsi Ecclesiæ Hierarchæ, si (quod nefas est dicere) talia peccasset.* Quæ si vere prædicas, ubi est illud tuum, quod superius affirmabas: *Hoc quid est, nisi constituere Discipulos super Magistros, Filiis parentes subjicere, Episcopalem auctoritatem evertere?* Non essent hi Presbyteri *veluti frænum Episcoporum ori inditi, ut eos in officio continerent, ut illis monitoribus, si quid humani paterentur, resipiscerent?* Nolim tamen te metuere, ne quis inde inferat, *Presbyteros hosce fuisse Pontificium Primatum cum Pontifice partituros. Illis jus aliquod in Primatum adjudicabitur?* Ne metuas, inquam; nemo quippe *de genere in genus transiturus est*, ut tu modo facis. Non de Primatu quæstio est, sed de Ecclesiæ cura, de Religionis discrimine, in quod Pastoribus etiam secundi Ordinis jus est non indubium, & quidem peculiare.

Quid amplius, interrogas postremo, egere optimi illi Presbyteri (Antiocheni)? Quid

amplius egerint, docui Op. pag. 44. Eusebio teste Lib. 7. cap. 29., ad Antiochenam nempe Synodum una cum exteris Episcopis frequentissimos confluxisse; ibi non *accusatores, non testes egisse*, ut tu somnias, sed impiam hæretici Præsulis doctrinam proscripsisse, anathema in eum cum Synodo universa dixisse, cum Episcopis una Judices extitisse, idque patere affirmavi, quod una omnes Epistolæ Synodicæ subscripsere. Non ergo solis clamoribus, querelis solis ab illis res transacta est; quod tu delirantis more poetæ cerebro æstuante confingis; quo fit, ut totus in excurrendo sis, nihil serio mediteris.

In §. XIII.

CASTIGATIO XV.

1. *Cavillationes Anonymi in Conc. Ephesinum exsufflantur.*
2. *Criminationes in Eusebio, & Hilario, ac Basilio a me productis diluuntur.*

Quonam meo fato fieri dicam, ut quod Excursori meo impune licet, id mihi grande piaculum sit? Licuit ipsi, ut supra vidimus, jus suffragii, & quidem decisivi in ipsis Generalibus Conciliis, immo etiam in caussis Dogmaticis Presbyteris ex vi privilegii asserere; id si ego dixerim, continuo exæ-

exæstuat, excandescit, infremit, debacchatur, Pontificem appellat, & ejus Constitutionem, qua male ominatam proscribit Synodum *Pistojensem* (vide diligentiam famuli a latino sermone). In hoc uno confidit ille; id si excipias, satis animadvertit, nihil se ficulneis argumentis suis contra me profecturum. Locus est enim ad maximam in me invidiam apud imperitos conciendam satis illi opportunus. Sed operam ludit; tantum Piana a me abest proscriptio, quantum a terris Cœlum.

Ubi deferbuit, a me quærit, *quibus tabulis, quo teste jus illud confirmem?* Ephesina Synodo: nostin? Tu ipse verba recitas; ejus quippe Synodica Epistola appellantur Presbyteri Episcoporum Comministri, Concilii *membra*. *Justum, & rationabile Elogium* tu ipse non dubitas confiteri. Sed videte, quo elogium istud ipse detorqueat. *Præiverant*, ait, hi Presbyteri *Confessioni Concilii, Concilio adhærebant*. O insulsissimam interpretationem! Præiverant ante multo Populus Constantinopolitanus, Senatores ipsi, qui veriti, ne impii Patriarchæ communione se polluerent, sacris Synaxibus abstinuere. Numerabimus hosce omnes inter membra Concilii? Huc, credo, denique deveniendum est, ut Laicos omnes Concilii membris accenseamus. Sed ingens hujusmodi paradoxum Nostrum minime deterret; quin prævalide confirmat pulcherrima excogitata ratione: *Nonne*, subdit: *nos*

om-

omnes membra sumus in Christo, nonne unum corpus, nonne ejusdem Fidei professione Corpori Christi omnes inserimur? Ilicet, conclamatum est. Vicissis Protestantes. Concilium omnium Christianorum est; omnes Christiani membra sunt Concilii; nam sunt unum cum Christo corpus; ut quid vos Catholici, ut quid Ecclesiastici Ordines id vobis solis jus vindicatis? Jure nos ergo vestra hæc Concilia flocci tunc facimus, cum non omnia ad ea Christi Corporis membra convenerint. Nonne vides hic *miram tuam illam de genere in genus transitionem*? Nam a Corpore Concilii, ejusque membris, quod genus unum est peculiare, ad Corpus transis Ecclesiæ, ejusque membra, quod genus est alterum, immane quantum a primo diversum.

Accedo ad *Comministri* nomenclaturam. Vocem esse ais, *pro bene gesta re plaudentis; nam & summi Duces re bene gesta gregarios milites vocabant Commilitones; hac nempe voce illos sibi promerebant*. Sed quem plausum in *Commilitonis* vocabulo comminisceris? Gregarii etiam milites vera, ac propria ratione hocce vocabulo appellantur, quando una cum Summo Duce, dispari tamen militant modo. Inæqualitas porro hæc non modo constat, si Gregarios ad Imperatorem referas; verum etiam si ad Duces minores. Omnes tamen generica Commilitonum appellatione continentur. Res prorsus non ita sese habet in *Comministri* vo-

ca-

cabulo. Hæc quippe vox a Scripturis, usuque Ecclesiastico consecrata ministerium, procurationem, regimen, præfecturam exprimit. Habet id etiam hodierna Tribunalium consuetudo, qua cum imperio Magistratus *Ministros* appellamus. Idque etiam, quod ad disciplinam spectat Ecclesiasticam, luculentius innotescit; quandoquidem numquam hac nomenclatione inferiores Clerici ab Episcopis dignati sunt. Et ecce omnia isthæc tua interpretamenta, satis absurda, evanuerunt.

Revocat me iterum Anonymus ad Concilii membra. Quid facias? Cum excursore excurrendum est. Erant hi Presbyteri, inquiebam ego, membra Concilii, non actu quidem; nam a Concilio aberant: Ergo jure. *Peracutam Dialecticam* meam irrisor miratur. Cur sodes? qua in re peccatum est? *A Concilio*, inquit, *non bidui iter, sed longissime aberant*. Idne facit, ut nequirent esse, saltem jure, membra Concilii? Nonne Episcopi absentes omnes, Britanni ipsi toto Orbe diversi, modo Catholici sint, (licet diverso jure) sunt membra Conciliorum? O peracutum Nostrum Correctorem! Sed locus, inquiebam, quem in Hierarchia obtinebant, jus illis tribuebat, ut cum Episcopis adessent, & judicarent. Jus id in Append. pag. 179. explicatius recensui; cum nempe Presbyteri ex vi suæ Institutionis sint Episcopis in adjutorium, Ecclesia locum considerans, quo in Hierarchia censentur,

hoc jure illos impertivit. Quid tu porro? *Hoc erat*, ais, *demonstrandum, hoc in quæstionem venit, hic tota est contentio*. Sed nonne ego hunc saxum volvo jamdudum? Hoc ex Ephesino hic demonstravi? *Sed uno verbulo officioso*. Parce, bone vir, erravi. Oportebat me dicacitatem tuam imitari. Verbosior posthac ero, ubi idem recurret argumentum.

Succedit Eusebius Cæsariensis, de quo nonnihil habet Anonymus, quo illum a me aversurum confidit. Ego igitur ex Euseb. Cæsar. lib. 6. Hist. hæc recitavi: *Theoctistes, & Alexander Episcopi, cum prærogativis, supremoque honore dignum Origenem probavissent, ei manus, ut Presbyterio fungeretur, imposuerunt*. In quæ verba nihil exclamans, sed pacatissime commentans subdidi: *Vide, quanta insederit his præstantissimis Patribus Sacerdotii opinio, ut illud supremi in Ecclesia honoris nomine appellent, quo nescio quid dignius Episcopatu ipso dici queat, quem supremum apicem nominare moris est*.

Hæc de Sacerdotio dicta illi non placent, nisi saltem in eam accipiantur partem, *quatenus diversos Ordines complectantur, alias nulla foret Episcopi supra Presbyteros eminentia, ac vera esset Aerii, aliorumque hæreticorum, qui Episcopos, ac Presbyteros pares fecerunt, furiosa assertio*. Ubique semper eodem me petit jaculo, retuso semper tamen. Nam primo ex verbis ipsis meis satis apparet, me Episcopis subdere Presbyteros;

hos

hos enim cum illis conferens, pono Episcopatum esse supremum apicem, Presbyteratum porro tantæ dignitatis rem esse, ut supremus honor nominetur, ac cum Episcopatu non auctoritate, & eminentia, sed vocabuli honorificentia quodammodo certet. Secundo Anonymum nostrum, qui sæpenumero Optimum se Logicum venditat, meminisse oportebat distinctionis illius *Categorematicæ*, & *Syncategorematicæ*. Sic nomen *Infiniti* categorematice, Dei solius proprium est; syncategorematice aliis a Deo rebus aptatur, ut lineæ, gaudio, dolori, ceteris. Sed sat scio isthæc te barbaries terruit. Constare ergo puto citra periculum omne, Sacerdotium, quatenus solos comprehendit Presbyteros, posse *supremi* honoris vocabulo honestari. Quid quod in Eusebii textu *Episcopatum ipse videt, non secundi ordinis Sacerdotium; & mihi somnum obrepisse jocatur, cum Prærogativas*, & *supremum honorem cum Presbyterio* composui? Ipse nimirum hunc inde exprimit sensum; Theoctistes, & Alexander cum probavissent Origenem dignum prærogativis, & supremo honore (Episcopatu), cum aliud ei tribuere non possent, ei manus imposuerunt, ut Presbyterio fungeretur; ad eumdem ferme modum, quo munusculum quis in quempiam conferens, *dignus es*, diceret, *aureo monte, sed accipe has quisquilias*. Quam male solus ipse suas subduxit rationes! Nam primo glossa opus habet, & additamento, ut inde hunc eliciat sensum,

qui si textus sibi relinquatur, omnino requirit, ut *supremus ille honor* ad Presbyterium referatur. Secundo, curnam nihil præter Sacerdotium amplissimi illi Præsules Origeni tribuere demum potuerunt? Nulla tum Episcopalis vacabat Sedes? Erant porro ambo Metropolitani, Hierosolymorum alter, alter Cæsareæ; utraque vastissima erat Provincia. Si tunc, ut istud etiam demus, nulla vacua Sedes, in insequentes annos, nusquam factus est locus? At Origenes numquam neque ab illis neque ab alio quopiam Episcopatu auctus est. Perquam igitur manifestum est, Presbyteratum supremi honoris appellatione in textu, de quo agimus, indigitari. Denique, ut quid circuitus iste, hæc circumlocutio: *Prærogativas, supremum honorem* (quæ verba Patriarcatui, vel ipsi etiam Pontificatui quis posset aptare), cum potuisset uno verbo Episcopatum diserte exprimere, quod fecit in Presbyterio, ut antithesis inter Episcopatum, ac Presbyteratum institueretur? Illa igitur *prærogativis, supremo honore* unius Presbyteratus circumlocutio est, & veluti quoddam epithetum, eo sensu, quem supra aperuimus.

Prodeat nunc iterum Eusebius excutiendus adhuc. Is lib. 7. Demonstr. Evang. tres in Ecclesia distinguit Ordines, Ductorum unum, subditorum duos, Fidelium, ac Cathecumenorum. In quem locum sic ego: Doctissimus Episcopus cum nominis communione Ecclesiæ administrationem ad Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, Ductores videlicet,

cet,

cet ; perspicue pertinere docet. Ad hæc ille consuetum tædium caussatus *his immorari recusat ; ipsum se non ferre posse scribentem, minus porro Lectorem*. Hinc paucis sese expedit: *Ductores non paucos in exercitu, Imperatorem, Tribunos, Centuriones, infinitos manipulorum Præfectos*. Bene sane: quid inde ? *Ergo inter hos comparationem institues, uno ordine censebis Achivos* ? Quis vero hosce omnes uno habet ordine ? Certe non ego, qui si Ecclesiæ administrationem Episcopis, Presbyteris, Diaconis, utique Ductoribus spiritalium Copiarum assero, nec ullam inter illos comparationem instituo, nec in unum ordinem concludo.

Sed me *nimis ad vivum rem resecare conqueritur, & positos fines prætergredi. Nil Episcopo superesse, nisi Directionis primatum, magni nominis umbram*. Solemne est homini sæpius ad eamdem calumniam redire, unde in me bonorum odium excitetur. Duos quippe communes locos habet, Pianam Bullam, eversam Episcopalem auctoritatem. Etsi plus vice simplici crimen dilutum est, non committam tamen, quin quoties eadem intenditur accusatio, quam brevissime respondeam. *Quid illud meum rogas : pastoralem curam in solidum a toto Præsbyterio possideri* ? Hoc ipsum, quod dicis ; nisi quod, Episcopis in hujusmodi cura Presbyteri sint obnoxii. Vindicandum Presbyteris jus *suffragii, & quidem definitivi in ipsis generalibus Conciliis, immo etiam in caussis Dog-*

 gma-

gmaticis. Non defugio; sed Ecclesia ipsa largiente. *Amplissimo Sacerdotii nomine, quo nomine Pontifices, & Episcopi significantur, ad simplices Presbyteros coarctato, exclamo: quo nescio quid dignius de Episcopatu ipso dici queat*. O Crimen inexpiabile! Nonne usu pervetusto solis Presbyteris id nominis hæret? Presbyteri nempe Sacerdotes sine additamento dicuntur. Ego porro non ad eos solum illud nomen coarcto, nisi in producto Eusebii testimonio, satisque explicavi, quid illa complexio sonet, quam hic in crimen vocas. His ita statutis, perge, si potes, Episcopalem potestatem *directivam* tantummodo appellare.

Nova ex Hilario suppetit Excursori meo accusatio in eo sita, quod dixerim, *Episcopis pene suppares Presbyteros*, *ac plaudere* huic dictioni. Ubinam crimen, utrum in eo, quod Episcopis Presbyteros pene suppares fecerim, an in eo, quod plauserim? Alterum hoc falsum est; illud vero culpa vacare nemo inficiabitur, nisi quis latine nesciat. Ego vero eo consilio Hilarium produxi, ut appareret promiscuo Sacerdotum vocabulo usum ad designandos utriusque Ordinis Sacerdotes, quibus, ut a populo distinctis, cujus partes in obsequio sunt, sacrum imperium conveniat. Hic tu præter rem Lancelloti distinctione prolata, huc demum redis: *Sufficit Hilarium id innuentem in generico Sacerdotum vocabulo hærere*. Sed numquid ego in specifica acceptione hæsi, qui promiscuum istud vo-

ca-

cabulum ex Hilario asserui? Cur ergo me objurgare pergis, quod amplissima Sacerdotii, ac Sacerdotis nomina, ubicumque occurrunt, ad simplices Presbyteros coarctem, & confidentissime in hos jura, prærogativas, ac cuncta, quæ vastissimæ sunt Sacerdotii amplitudinis, deducam? Nonne tu confidentissime, ne dicam impudentissime ista confingieodem ipso loco; qui te arguit falsitatis?

Antequam Basilium arripiat Excursor, ecce congressione prima insigne mendacium. *Nos*, inquit, *impudentes audiemus a modestissimo Theologo Nostro; si nullo mostrante non deprehendamus*, &c. Ubinam, quæso, in toto Opusculo meo impudentiæ nota quempiam nominatim inussi? Sed rem ipsam putemus. Duo ego ex Basilio elicui. Primum Presbyterorum προεδριάν. Quid tu adversus eam? taces, satis laudas. Alterum, præcepta a Paullo Episcopis tradita, ea Basilium cum Presbyteris communia facere, inter quæ non ultimum de Ecclesiæ procuratione. Tu isthæc præcepta potuisse a Paullo dari contendis Diaconis, immo ipsis minoribus Clericis. Id ut tibi assentiar, quid inde conficies? Potuerunt hæc Diaconis, minoribusque Clericis tradi. Tradita tamen non sunt, nisi Episcopis, in iisque etiam Presbyteris ex Basilio. Sed si verum amamus, non omnia potuerunt tradi omnibus communiter Clericis, ut illud de Ecclesiæ administratione, qua in re nullæ minorum Clericorum partes. At præcepta hæc *mediocria quædam*, & *vul-*

vulgaria exigunt Officia. Detur id temporis conditioni, ut ex Chrysostomo doces; certe nihil ad præsentem quæstionem.

Nos porro mirari vetas, si hic nonnulla admisceantur, quæ Ecclesiæ gubernationem evidentissime spectant, quod nempe optandum sit, ut qui in Presbyterum assumitur, par sit Episcopatui ferendo, ut infimæ classis Magistelli leguntur, qui brevi post tempore superiores possint Cathedras ascendere. Id quippe tibi etiam assentior, modo concedas, Presbyteros interim, usquedum Episcopi inaugurentur, cum Episcopis, ac sub ipsis Ecclesiæ gubernationi assuescere, ac illos, quos Magistellos nominas, interim suo docendi munere probe defungi. Quod addis de eisdem Episcopis simul, ac Presbyteris, hoc est in eamdem personam concurrisse ambos illos gradus, & ordines (etsi id vix concipi queat) nihil novum dicis, quod sæpe non sit alibi refutatum.

In §. XIV.

CASTIGATIO XVI.

Chrysostomum, ac Hieronymum pessime Noster interpretatur.

AD duo Ecclesiæ lumina Chrysostomum, ac Hieronymum libentissime se accedere profitetur Anonymus; eorum verba omni

auro

auro pretiosiora reputat. Creditur. Immo etiam confido tanti eos præ ceteris habiturum, ut in eorum spem gratiæ minus vitilitigare velit. Chrysostomus ergo nihil omnino a Basilio diffidet; nisi quod disertior iste est multo, ac vehementior. Episcopo informato Paullum, ait, Presbyteris prætermissis, ad Diaconos recta gradum facere; ejusque rei hanc affert rationem, quod inter eos non multum intersit. Statim hic Noster, intento *digito notatum vult, Presbyteros hic a Chrysostomo conferri Episcopis in ratione vitæ instituendæ*. Falsi te Chrysostomus ipse coarguit. Non in ratione vitæ instituendæ conferuntur, sed in oneribus, quæ imposita sunt utrisque, ideoque eamdem vitæ rationem tenere eos oportet. *Quia non multum interest; ipsi enim ad doctrinam, Ecclesiæque Præsidentiam Ordinati sunt*. Non ergo, ut tu comminisceris, Chrysostomus non multum interesse dicit Episcopum inter & Presbyterum, *cum uterque divina Ordinatione a Populo segregatus, & Deo peculiariter mancipatus sit* (ceteroqui nihil minus de Diacono dicere potuisset); sed quoniam ipsi ad Doctrinam, & Præsidentiam ordinati sunt. Hic eo loco es, ut elabi nequeas omnino. Sit demum isthæc Præsidentia *sub Episcopi directione, ac regimine, & nihil, nisi quod jussi sunt aggrediantur*, evadere non potes, quin *Præsidentiam*, nisi vis Chrysostomo obsistere, & agnoscas, ac confitearis.

Non-

Nonne prædixi, minus multo litis hic cum Noſtro me habiturum? Nam cetera, quæ fuſiori calamo de Epiſcopatus divina excellentia egregie diſputat ex Thomaſſino depromta, ſic cuivis, mihique imprimis probantur, & arrident, ut nullum credam fore, qui contra hiſcat. De Thomiſtarum porro circa Episcopatum ſententia neque id nunc ago, neque vadimonium ſubire libet.

Hieronymum ergo conſulamus. Parum, ut ſolet, mihi in illo ſubſidii conquiſitum affirmat. At ego multum iri ſperabam. O ſpes fallaces! Nam quod Hieronymus aſſerit, ante Corinthiacum ſchisma communi Presbyterorum conſilio Eccleſias gubernatas, *id ſibi nihil incommodare*, ait, *cum ex ſupradictis pateat, quod Apoſtoli in multis Eccleſiis ſolos collocaverint Presbyteros* (cur ergo tantopere me ſupra vexavit, Episcopos, de quibus mentio in Epiſt. ad Philip. Presbyteros cum Hieronymo, aliisque interpretantem?) *qui vel a vicinioribus Epiſcopis, vel ab ipſis regebantur Apoſtolis*. Sed ſi hi Presbyteri in communi Eccleſiam regentes a vicinioribus Episcopis, vel ab ipſis regebantur Apoſtolis, qui Schismati locus eſſe potuit, cum in ſchismatis remedium unum Presbyteris præpoſitum ſatis diſerte affirmet Hieronymus? Fefellit ergo te conjectatio tua, cum me id concedere suspicatus es. Contendo equidem poſt Corinthiacum schisma antiquum non exoleviſſe morem, sed aliter

meas

meas rationes subduco. Nimirum ante schisma regebantur Ecclesiæ nullius sub auctoritate, Capite nullo: post illud idem commune regimen perseveravit, uno tamen constituto Capite, qui schismati viam intercluderet uberiori præditus potestate.

Sed Nostro perpetua secum ipso pugna est. Ecce aliter, quam modo affirmaverat, his de Presbyteris sentit. *Hieronymum igitur*, ait, *accipiamus de illis locis, in quibus Cathedrales Sedes nondum fixæ erant, ubi nil mirum, si nullo ceteris præsidente, omnibusque pari auctoritate instructis facilis & frequens fuerit ad schismata lapsus*. Non igitur, ut ajebat, hi Presbyteri ab ullis vicinioribus Episcopis, aut ab Apostolis regebantur. Dormitare oportet hominem, qui usque eo incogitans est, ut nesciat, quid ipse scriptitet.

Refricat deinde, quod sæpius antea fecit, quæstionem de Episcopi, ac Presbyteri appellatione. Quod autem, inquit, ex Epist. ad Philipp. infert Hieronymus, eosdem dici Episcopos, illo tempore, ac Presbyteros: propterea *indifferenter*, subdit, de Episcopis, quasi de Presbyteris Paullum locutum; *contendimus Hieronymum hoc tantum velle, quod Episcopi interdum Presbyterorum nomine designentur*. Hoc recte: *atque Presbyteris quoque credatur animarum cura, & munus baptizandi*.... Sed hic non de Presbyterorum Officiis Hieronymus agit, sed de promiscuo cum Episcopis vocabulo: *pro-*

pter

pterea indifferenter, ait, *de Episcopis, quasi de Presbyteris Paullum locutum*. Vere huic sensui Chrysostomus adstipulatur. *Quid hoc? Unius urbis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros ita appellavit: tunc enim adhuc communicabant nominibus*. Quid disertius ex Chrysostomo, quam Presbyteros Episcopos tunc appellatos? *Quod ultimum sic accipias*, inquit, *Episcopos scilicet vocatos nomine Presbyterorum. An autem e converso, id non liquet*. Qui, bone, id non liquet, quando id disertissime affirmat Chrysostomus tuus? Quid is mihi faciet homuncioni, quandoquidem ipsi Chrysostomo abrogat fidem?

Nunc porro luxatum Hieronymum componit Noster. Nimirum, cum ex ipso Hieronymo constare dixisset, Episcopum *Presbyterorum suffragiis* electum gradum sublimiorem, ac jus primum obtinere (quod & ego illi assentior), *non debemus in deteriorem partem accipere eumdem dicentem: Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*. Arrectis auribus difficillimam conciliationem arripiamus a Magistro Nostro. *Dixerat S. Doctor, Ecclesiam fuisse ab initio gubernatam communi Presbyterorum consilio, deinde ad unum Episcopum delatam sollicitudinem, hac demum in re magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate Episcopos majores esse Presbyteris*.

Ex-

Ergo non jure divino; quod primum est; ſed consuetudine, aut saltem Eccleſiaſtica lege Epiſcopi supra Presbyteros jurisdictio conſtat, quod nescio utrum tibi conceſſuri ſint Theologi. Secundo conſuetudo illa, quæ ad unum ſollicitudinem Episcopum detulit, eam antea toti attribuerat Presbyterio; quin tamen ulla oboriretur Episcopalis poteſtatis imminutio; quam rem tam sæpe, ac tantopere in me criminaris. *Hæc nimirum*, pergit, *quoniam Apoſtoli ab initio etiam Seniores in partem ſollicitudinis Eccleſiæ admittebant* (meminerit Lector, quantam de hoc, quod nunc confitetur, ſuperius conciverit turbam); *cum tamen ipſi pleniorem haberent auctoritatem*. Sed nonne Epiſcopi ex te pro sua in Presbyteros indulgentia, humanitate, benignitate illos in partem ſollicitudinis & admiſere, & admittunt adhuc, quin pleniori iſthac indigeant Apoſtolica auctoritate? *Poſtea vero creſcente Fidelium multitudine ſatis duxerunt ad ſchismata removenda, ceteris unum præficere* (id probe), *ut plura is ſtatueret, ac præciperet, Presbyteris inconſultis*. Atqui, ſi quando Epiſcopi conſilii indiguere, id maxime fuit crescente multitudine, negotiorum mole oppreſſi. Deinde ſi plura, inconſultis Presbyteris, iis permiſſum eſt ſtatuere, ergo non omnia. In his porro erant Presbyterio obnoxii. Tertio ante schisma, nihil omnino Episcopo ſine Presbyterorum conſilio moliri fas erat. Hæc omnia ex ſtatutis prin-

cipiis

cipiis recta consecutione proficiscuntur. Tu interim vide, quid neges.

Illam quippe, pergit perpetuo Noster, *in gubernanda Ecclesia consiliorum communionem, quam Hieronymus ait initio servatam, & quam nunc quoque in rebus arduis suadet Præsulibus omnibus*. Ingens nefas, Hieronyme, id suades Episcopis, quod ad schismata removenda Ecclesia prudenter invexit? Sed qui suasionem appellat Noster, quam Hieronimus tantum non Legem appellat: *in commune debere Ecclesiam regere*, cum & ante, & post Schisma res eodem modo se habuit? *Explicat S. Doctor his verbis*: Imitantes Moysen . . . In quæ verba sic ego. Hoc argumentum ab exemplo petitum, procedere non a pari, sed ut ajunt, a majori ad minus. Si Moyses, cui datum est, ut solus præesset, consortium 70. Seniorum adscivit, quanto magis Episcopis Presbyterorum in administranda Ecclesia societatem non esse respuendam? Hæc a me prolata asseris, ne Moysi *mihi exemplum incommodet*. Ais enim, *Moyses solus præerat*. Et ego tibi concinens, in Presbyterio *Episcopus unus præest*, repono. *Moyses voluntarie Seniores elegit*. Phy! tam novus in Scripturis? Eas consule Num. 11. Ceteroqui, licet voluntarie Moyses Seniores in ministerium acceperit, Episcopi certe non ita. Nonne tu ipse paullo ante Hieronymo suppetias ferens, consuetudine magis, quam dispositionis divinæ veritate ad unum summam

re-

gerum delatam ; cum prius communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernaretur ? Ergo hic optime stas.

In §. XV.

CASTIGATIO XVII.

Novæ lites in Ambrosio, & Augustino Componuntur.

EXclamare me sæpenumero mentitur Anonymus, cum meæ vocis exilitas satis comperta sit. Putem capite laborare, ut quavis vocis exiguitate offendatur. Ne illi molestus sim, ad te, amice Lector, orationem meam convertam. Ambrosii locum recitavi, qui Offic. lib. 2. cap. 27. Episcopum informat, quomodo eum oporteat se gerere erga Clericos, & maxime Ministros, atque erga Presbyterum: illos, ut vere Filios vult muneri deputare, cui quemque viderit aptum: Presbytero vero deferre ut parenti. Quis hic non videat Filiorum a Parente discrimen? Si ergo Filios obtemperare necessitas cogit, nonne consequitur Presbyterum, ut parentem præcipere oportere, non absolute quidem, sed sub Episcopo, qui parentibus Presbyteris & ipse parens est præcipuus? Nonne consequitur, quod Nostrum commovit, Ecclesiæ procurationem Presbyteris etiam non esse abjudicandam, quando domesticæ

rei

rei curam, ac sollicitudinem parentibus abjudicat nemo? Sed cur mihi molestiam facessit, quando ultro confitetur ipse, *Presbyteros Episcopo collaborare juberi?* Nefas illis quidem in capitis jura invadere, sed manus officium nemo eis sanus negabit.

In Augustino porro *mirabilem me vere* prædicat Noster. Et ecce tibi eximiæ hujus admirationis caussa. *Nam multis*, inquit, *superius egit, potentem Ecclesiæ gladium, excommunicationem, non solitaria Episcopi manu tractandum, sed Presbyterii junctis viribus exerendum; nunc vero solis Presbyteris illum permittit*. Anne ego demum permitto, an Augustinus, cujus verba dedi, atque hic exscribere non pigebit? *Quam facile de gradu Clericorum quisque ab Episcopo; vel de Congregatione Laicorum sive ab Episcopo, sive a Clero, sive a quocumque Præposito, cui potestas est, eximitur*. A nemine in hunc sensum accipi Augustinum affirmat. Dicat ergo quo sensu accipiendus sit? Expectandum jubet, donec fusius infra de hoc redibit sermo. Ego interea Augustini testimonio hic usus nihil dissonum ab eo, quod superius posueram, edocui. Apostolico ævo ab Episcopis una cum Presbyterio anathema pronunciari solitum ex epist. ad Corinth. satis evici. Nonne potuit isthæc disciplina secutis temporibus paullo inflecti, ut Præposito cuicumque potestas fieret, ut solus anathema intorqueret? Sed ex verbis Augustini eo adducor, ut generalis regulæ exce-

exceptionem quamdam hic deprehendam: ait enim, *cui potestas est*; quod per quam aperte ostendit, non omnibus promiscue Præpositis eam tum potestatem concessam esse. Quam si ille *Delegatam* maluerit appellare, per me licebit.

Sed mirabilis revera Noster est, in vi Augustino afferenda, cum locum alterum epist. 21. interpretatur. Is sic habet: *lis mihi facta est merito peccatorum meorum, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram*. Quis hic Augustinum non videat conquerentem, quod Presbyteratu auctus esset, qui certe secundus locus est gubernaculorum? Hoc ipse primo non renuit; *sed me oblitum fortasse asserit, Augustinum Episcopatus coadjutorem ab Episcopo Valerio cooptatum fuisse*. Tenebam apprime: oblitus non eram. Sed quid tum porro? Erat adhuc Sacerdos, Episcopus nondum erat: gubernabat tamen, regebat, secundus ei locus gubernaculorum traditus est. Quando, nisi cum Presbyter consecratus est? Excurrit mox ad tempus, quo vivente adhuc Valerio contra Nicænos Canones, Episcopali consecratione auctus est. Dat verba ipsius epist. 100. *Adhuc in carne posito B. M. Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Nicæno Concilio prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat*; quæ horribilis excursio a Presbyteratu ad Episcopatum, a secundis ad prima gubernacula? Nec

 me-

melioris notæ illud est, quod statim addit?, *verumtamen secundus hic locus gubernaculorum revocat in memoriam, Sacerdotium in duos Ordines dispesci, in unum, quo traditur potestas Eucharistiam offerendi, & in excellentiorem alium, quo confertur auctoritas illos, qui conficiunt Eucharistiam, ordinandi ac consecrandi*. Recte sane: dispescatur Sacerdotium in duos Ordines, Episcopatum, ac Presbyteratum, semper istud constabit immotum, primo Ordini prima gubernacula, secundo secunda esse concredita. Augustinus de sese affirmat, secunda sibi esse commissa. De Presbyteratu ergo angustissimo sensu accipiendus est. Quam miserum porro tertium illius effugium! *Horum summa est*, inquit, *Presbyteros ex vi Ordinis sui aptos esse, qui gubernaculorum locum teneant*. Sed Augustinus non sibi *aptitudinem* traditam dicit ad regenda gubernacula, sed ipsa sibi secundi loci tradita gubernacula. Sic nempe tunc temporis disciplina ferebat, ut Ordo esset a gubernaculis indivisus.

Auctorem Quæst. Veteris, & Novi Testamenti impune Noster poterat præterire. Nimirum, cum ea mente hic productus esset, ut doceret Episcopos non alio nomine secundi Ordinis Sacerdotes solere appellare, quam *Compresbyteros*, ac *Consacerdotes suos*, ut inde regiminis Ecclesiastici inter eos existeret communio, solitam Ecclesiæ Pastorum *modestiam*, *facilitatem*, *benignitatemque* repositurus erat, quæ millies jam hactenus audivi-

divimus, milliesque in ſequentibus audituri ſumus.

Supereſt hic ultimo loco excutiendus Auctor opuſc. de septem Gradibus Eccleſiæ. Duplici ex capite Noſter eum alio avertere conatur. Primo, *quod myſtice rem totam tranſigere videtur*. Sed oculis opus erat Anonymo, ut nullum in verbis illius latere myſterium dignoſceret. Secundo, quod Presbyterorum munia *ſola exhortatione, ac prædicatione, & quod Plebibus benedicunt*, vult Auctorem concludere. Qua in re de more mentitur: putabat ſane neminem integrum textum perlecturum, ut liceret ipſi officia illa ad poteſtatem Ordinis referre. Sed ibi: *Presbyteri dicuntur, qui præſunt Eccleſiæ Dei. Hi una cum Epiſcopo conſortes miniſteriorum. Ab initio, ut legimus, negotiorum judices eſſe mandati ſunt Presbyteri*. Hæc porro magis cum jurisdictione, quam cum Ordine cohærent. Itane ſibi, ut ad rem ſuam derivet, mutilos exhibere licebit Scriptores? Cur vero incerti nominis Auctores in teſtimoniorum delectu non respuerim, satis conſilii mei rationem probari, ut opus non fuerit Anonymo tumultuarium opus cauſſari meum; & militum conſcriptione ſubitaria irridere.

In §. XVI.

CASTIGATIO XVIII.

Egregie hallucinatur Anonymus, dum Leonem, ac Gregorium Magnum utrumque, Isidorum itidem alio detorquet.

Si fidem Noster præstare soleret, ejusque excurrendi ingenium subsideret aliquantisper, confiderem, fore ut in Magnis Leone, & Gregorio recensendis a me staret. Fatetur nimirum, *se ad horum sententias venerabundum accessisse, certum se in alia omnia discedere, si minimum quid adversi in illorum testimoniis deprehendisset*. Sed ego non minimum quid, sed magnum aliquid in utroque illi ostendam. Ergo Fideles hortatur Leo, ut latitantes Manicheos *Presbyteris denunciarent Sacerdotali auctoritate communione multandos*. *Sacerdotalis*, inquit ille, *auctoritas est in Pontifice, est in Episcopo*. Quæ si vera sunt, non Presbyteris hi nebulones, sed Pontifici forent denuntiandi, si ab hoc demum anathemate essent compescendi. Quid hic Presbyteri faciunt? Quæ eorum partes, nisi delatorum tantum? Sed vide, amabo, quid hic agerent Presbyteri; subdit statim; *quæ res, nisi coacta Synodo residentibus mecum Episcopis, & Presbyteris expedita*. Rectissime quidem ex temporum illorum disciplina, qua a toto Presbyterio hæ pœnæ infli-

fligebantur. Nam de delegata potestate quod addis, ea complusculis post annis in Ecclesia obtinuit. Ex Decretalibus apparet tot post sæcula ordinariam adhuc Præpositis hanc hæsisse facultatem. Sed hoc de argumento pluribus infra.

Subsistit hic aliquantulum Noster, ut scrupulis occurrat meis peritissimus æque ac amantissimus Medicus. Sed quoniam medicina isthæc illi plus, quam mihi, profutura est, hic ego etiam subsisto, immo ut ei magis morem geram, medicinæ syngrapham hic exscribo. Ergo ille: *Abbates, & Ordinum Generales sedent in Œcumenicis Conciliis, & suffragii prærogativa, non secus ac Episcopi gaudent. At totum id Pontificiis concessionibus acceptum illi referunt, quod vulgo fatentur Theologi*. Injecta manu hic ego eum remoror. Si sic res se habeat, cur cœlum terræ permiscuit, cur clamoribus omnia complevit, cur Pianam Bullam buccis crepantibus toties ingeminavit; cum totidem verbis idem ego in Op. meo asseruissem; nisi quod ego, *Ecclesia largiente*, id demum factum affirmavi; ille Pontificias memorat concessiones, non *verbis* quidem, *sed factis expressas*? Nonne totum ad concitandam invidiam, ac calumniandum comparatum est? Pergit deinde: *cum enim supra simplices Presbyteros non emineant illi sacræ Ordinationis charactere; cumque nulla plebium illis sit concredita cura . . . nulla alia via, nisi munifica largitione Pontificis id in eos deri-*

vatum, est omnino dicendum. Est ergo alia via, qua præter Pontificiam largitionem ad jus suffragii in ipsis etiam Œcumenicis Conciliis deveniatur. Quænam porro hæc via? *plebium concredita cura*. Id porro quo jure jurisdictioni tributum est? Non credo dicturum jure characteris Sacerdotalis; ipse tunc quippe in Bullam impingeret. Certe igitur Ecclesiastica disciplina, jubente eos, quibus animarum cura imposita est, in Synodis definitivum suffragium ferre. Et ecce mecum perfecte consentit Noster. Sed statim ex more, secum ipse pugnat. *Affer*, concludit, *centum Synodos, ad quos Leo, vel Gregorius, vel alius Hierarca summus* (quidni Episcopi?) *Presbyteros coegerint, & in quibus judices sederint hi, decreta condiderint, anathematismos tulerint, subscripserint* (ecce quot mihi concedit, omnia paullo inferius ablaturus) *millies respondebo, hos concedentibus, immo volentibus Summis illis Concilii Præsidibus Rom. Pontificibus ea omnia peregisse*. Macte, vir egregie, multum te amo. Sed ubi nunc, rogo, illa alia via, qua pleno suffragio potiantur Presbyteri præter Pontificias largitiones? Momento abiit, periit, evanuit.

Quam vellem vero, ut hæc via tam cito non evanuisset. Huc enim melius se recepisset Noster Gregorium explicaturus, quam ad asylum confugisset suum, ad modestiam, ad animi demissionem, quam toto Pontificatus tempore mirifice tenuit. Hanc quippe,

ut

ut ingenue confitemur, sic, nisi ad disciplinam eo tempore vigentem, quæ habet Gregorius, referat, difficillime nodo se, quem innexui, expediet. Atque, ut in illo uno me contineam Textu, quem præ ceteris vexandum suscepit: *Ex Mandato, quod legaliter factum volebat* Gregorius, *sive*, ut ipse se explicat, *suis, ac Presbyterorum, seu Diaconorum subscriptionibus roborato*; nulla invita Dialectica illud ego collegi: *quod perinde est, ac si nullius roboris esse dicatur, si quid contra gestum fuisset*. Sed id Nostro non probatur. *Itane vero*, confidentissime insurgit, *omnia acta irrita? Immo nec ista quidem. Hoc enim tum vere diceretur, si Pontifex Episcopi mandatum rejecisset eo nomine, quod Presbyterorum esset subscriptionibus destitutum*. Atqui id totidem verbis affirmat Gregorius; oculi consulendi sunt: *Presbyterorum subscriptionibus*. Sed ego dicam tibi, reponit, cui usui hæ forent subscriptiones, *Facile advertimus de judiciario processuum caussa criminali hic agi*. Qui, bone, id tibi demum innotuit? αυτος εφη, nefas hiscere contra. Sed esto. *Criminales caussæ in suis locis agebantur, hinc frequentissimæ ad Pontificem appellationes*. Itane, *frequentissimæ*? Sed tum maxime Provinciales Synodi florebant, ubi istiusmodi caussæ agitabantur; ac perraræ ad Pontificem appellationes. Sed quo evadat, videamus. *Acta mittebantur, quorum faciles falsationes. Quid ergo mirabimur, si de illorum sinceri-*

tate sollicitus Pontifex sic caverit? Egregie pro more tuo. Ergone Presbyteri non solum per te Episcopi satellites, sed etiam tabelliones? Quid Presbyteri? Ipsi Episcopi tabelliones erunt; nam non Presbyterorum tantum, sed & ipsius Episcopi subscriptionibus mandatum *legaliter* oportebat esse munitum. Quod si Episcopi in subscriptione non vulgare quid agnoscis, cur non & in Presbyteris, quos vides hic conjungi?

Si vero umquam se Noster distorsit, ac contorsit, id enimvero factum est in recensione testimonii, quod invictum ex Isidoro petitur. Duo statim mihi objicit, quod nempe Stesichorum imitatus ego inter Helenæ laudationes, vituperationesque fluctuantem, in Isidoro primum Hieronymum redivivum impense collaudem. Etsi vituperabile id non est, si Patri eximio egregium alterum confero, mentitur tamen, ut solet; ac mendacium ex sola verborum recitatione patebit: *nonne videtur tibi audire hic Hieronymum in hujus Doctoris scriptis redivivum*? Ubi est hic illa impensa laudatio? Alterum, me Isidorum asserere duriuscule locutum, dum asserit Episcopis Ordinationem Clericorum concessam, ne a multis disciplina vindicata concordiam solveret; cum sit id a Divina lege profectum. Quid ergo? Dicendum erat Isidorum hæretice locutum? Quis id ferret? Ergo reverentia, quam Doctori debebam Catholicæ rei ornamento, id a me verbum expressit. *Sed si duriuscule locutum dicimus*

Isi-

Isidorum de Episcopi potestate, cur non integra eadem hac caussa utemur; cum de Presbyteris loquitur? Quia nimium, si de Episcopis crude accipiatur, in Catholicum Dogma impingemus, de Presbyteris, nihil periculi est. De his quippe hoc unum habet, illos præesse, quod Isidoro cum ceteris Patribus commune est: ut te non satis mirari queam, *cum illum criminaris gentilitia Hispanicæ Gentis indole omnia in immensum protrudere, & ampliare*. Quo quid indignius dici potest, Sanctissimum Episcopum, ac Patrem meritissimum ex nationis ingenio Presbyterorum potestatem ad Cœlum extulisse; Episcoporum porro ita depressisse, ut hæreticus audiat?

Sed videamus, quid Noster pro amolienda ab Isidoro hæreseos nota satis insulse comminiscatur. *Neque hæretica*, ait, *neque duriuscula Isidori locutio, & suus undique Sancto Doctori constat honos*. Satis gaudeo, sed vereor, ut eum recte purges. *Attendamus diligenter ad verba* (Doctoris certe, non tua), *sed sola propter auctoritatem* (*utique divinam, quæ sola proprie dicenda est auctoritas: non enim dicit Isidorus auctoritatem humanam*). Non attendo. Id quippe tuum est. *Summo Sacerdoti Clericorum Ordinatio* &c. O ridiculam commentationem, nec satis dignam, quæ serio refellatur! Ergone sola auctoritas Divina hoc nomine proprie censebitur? Humana minus proprie dicetur Auctoritas? Unde id accepisti? Quo vade, quo

teste id asseris demum? Ubicumque Jus, Legem reperies, Divinum Jus, Legem interpretaberis, quia isthæc proprie Jura, Leges appellantur? Nonne ex omnium sententia auctoritatis vocabulum genericum est, in divinam, & humanam distinguendum? ac pro re de qua agitur, dignoscendum, num divina, an humana intelligatur auctoritas? Omnia porro in Isidoro humanam designant auctoritatem; ait enim *Summo Sacerdoti Clericorum Ordinationem, & Consecrationem reservatam, ne a multis Ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solveret, scandalum generaret*. Vides certe hic de disciplina agi, de scandalis avertendis, de dissidiis compescendis. Nam absque iis foret, non esset ex Isidoro Summo Sacerdoti Clericorum Ordinatio reservata. Quæ omnia jus humanum, non divinum spectant, quod prorsus nulli obnoxium mutationi. Tu ipse superius in hunc sensum Hieronymi verba, *Ecclesiæ consuetudine*, interpretatus es. Sed quid ego de his pluribus ago, cum legenti satis compertum sit, verba illa, *propter auctoritatem*, non eo, quo vult Noster, respicere, nempe ad originem Episcopalis auctoritatis, sitne divini, an humani juris (quo si spectarent, dicendum fuisset, auctoritate divina, aut saltem auctoritate) sed propter auctoritatem Episcopo conciliandam id demum statutum esse, ut ei Ordinatio reservaretur.

Sed tamen, concludit Noster, *Utique Divinus Legislator, ne memorata subsequerentur*

in-

incommoda, statuit Ordinationem Clericorum juris esse Episcopalis, unde exoritur de jure divino Episcoporum supra Presbyteros eminentia, quam asseruit Tridentinum. Ergo, si hæc demum constabunt, intrinseca potestate Episcopis erunt pares Presbyteri, extrinseca inferiores. Nam si quæram a te, cur demum duodecim Apostolis unum superposuerit Dominus? *ut capite constituto Schismatis occasio tolleretur*, cum Hieronymo respondebis. Rectissime. Apostoli ergo intrinseca potestate, charactere, Apostolatu pares ad avertenda Schismata caput accipiunt extrinseca tantum potestate majus, ac superius. Quod de Apostolis dico, de Episcopo ad SS. Pontificem dictum volo: omnes quippe Episcopi intrinseco charactere Pontifici pares, extrinseca potestate inferiores. Si dissidiis igitur tantum avertendis ac paci fovendæ, non alia potentiori ratione, Episcopos Presbyteris facis eminentiores, & in hanc partem accipis jus divinum; potestate intrinseca, seu charactere pares erunt utrique, jurisdictione dispares; seu quod eodem redit, sufficiebat, ut in Apostolis accidit, ad schismata compescenda, ut charactere, seu intrinseca potestate pares essent, jurisdictione tantum ex divino jure Presbyteris præstarent Episcopi.

Nunc sat scio, judicium a me expectas meum. Ego vero etsi a te male acceptus; quod duriusculam Isidoriani Textus partem unam affirmaverim, cum integrum locum tibi

bi permiseris *duriusculum* asserere, *atque adeo benigna interpretatione molliendum*: etsi in re difficili satius esset abstinere, ad ineundam tamen tecum gratiam, quod exoptas, faciam perlibenter, ita tamen, ut meum qualecumque judicium tibi subjiciam. Ergo sic reputo. Presbyteris eminent Episcopi jure divino, æque ac Ecclesiastico. Divino quidem, quod charactere divinitus consignentur potentiori, effusiori, fecundiorique, ut non solum Presbyteros, sed ipsos sui similes pariant Episcopos. Humano vero, quod licet nulla hujusmodi præstantia in Episcopali charactere eluceret divinitus indita, essentque charactere pares utriusque Ordinis Sacerdotes, Ecclesia tamen Apostolorum exemplo perdocta, quos inter Apostolatu pares inæqualitatem jurisdictionis voluit esse Christus, ut dessensionum seminaria præfocarentur; adhuc voluit, statuitque, ut uni Summo Sacerdoti Clericorum esset Consecratio reservata. Magnum quippe semper in Ordinatione momentum agnovit Ecclesia ad subjectionem, & obedientiam conciliandam: semper enim Consecrato Parentis loco habitus est Consecrator. Atque inde Patriarcharum, Exarchorum, Metropolitarum origo, ac jura primum invecta sunt, quod cum ab ampliorum Urbium Episcopo ceteros manuum impositionem accipere antiquissima ex consuetudine ceteris opus esset Episcopis, paterna quædam jura illorum in hosce ex Consecratione enascerentur. En mira in to-

ta

ta Hierarchia pax, concordia, Unitas. His positis, aliquid lucis affudisse reor intricatissimo Isidori loco; ponit enim Jure Divino, charactere ipso, Presbyteris Episcopos excellere; ad hunc spectare, immo & ab hoc charactere totam profluere Ordinandi potestatem. Ratum id, & inconcussum Isidoro. Progreditur amplius, & jure etiam Ecclesiastico adhuc contendit Episcopis Ordinationem reservatam, *propter auctoritatem* uni scilicet conciliandam, ut divisiones, scandala, ac Schismata avverruncarentur: paterna in uno auctoritate constituta, ab ipsa Ordinatione prognata, qua diversa inter sese membra Parente, ac Capite constituto arctius continerentur. Id habui in hac re, quod vero similius mihi visum sit.

In §. XVII.

CASTIGATIO XIX.

Confidit se Anonymus, si quid in Conciliis sibi adversum deprehendat, facile in sensum suum deflexurum; irrito tamen labore.

ANcipitem fuisse se diu testatur Anonymus Noster, utrum in hunc locum, ubi de Conciliis agitur, aliquid commentaretur. Non divino, si ejus hæsitationem in eam interpreter partem, quod se a communi loco, ab illo suo asylo, *humanitate* scilicet,

beni-

benignitate , alicujus Episcopi concessione , deturbari sentiebat. Animadvertebat porro, in Conciliis coactos Episcopos in suum gremium Presbyteros accipere, suffragium illis permittere, subscribere jubere, regimen illis denique sub Episcopis adscribere. Nimis sese hoc argumento urgeri videbat , nihil porro hadere se momentosum, præter Pianam Bullam perperam intellectam , quod reponeret . Dubitabat ergo , num hoc vulnus, quod ne aperiri quidem poterat, tangeret , refricaret .

Sed alio ipse dubitationis suæ caussam convertit . *Vanum*, inquit, *ac superfluum id videbatur . Cum enim omnibus retroactis sæculis firma Ecclesiæ persuasio insederit , Episcopis divinitus potestatem Greges suos pascendi traditam ; idcirco Universali Ecclesiæ unum summum præpositum fuisse Rectorem , unum quoque singulis Episcopum datum Civitatibus, ut uno capite constituto schismatis tolleretur occasio* . Nihil rectius . Sed quid inde? *Jam consequens erit, nullo pacto stare posse , quæ tanto molimine ex Conciliorum auctoritate ego coacervavi* . Parce , sodes : unone impetu omnia mea disjicis ? aut cedo , qua demum ratione id tibi constitutum est facere ? *His enim admissis nesciremus , Prælatine , an subjecti essent Episcopi ; horumne , an illorum partes potiores , cum unius in consiliis capessendis sententia plurimorum possit in contraria abeuntium placitis infringi , cui nullum suo more agendi relictum sit*

ar-

arbitrium , non regere, sed regi rectissime diceremus. Satis eximie . Atqui id unum fuit, quamobrem a Conciliis Presbyterium ad Episcopi latera constitueretur ; ne ei *more suo agendi reliqueretur arbitrium*; ut omnia non ad unius libidinem , sed ad Canones Ecclesiæ exigerentur; denique ne potestate sua Episcopi abuterentur . Ea de caussa Episcopalem potestatem hisce cancellis Concilia voluerunt conclusa. Qua in re illud serio animadvertendum est , non de Episcopali hic agi potestate (quod Noster numquam satis intellexit) sed de potestatis usu, & exercitio, ut ajunt . Illa , utpote divino jure Episcopis tradita, nullis potest finibus circumscribi , neque in illam quid valet Ecclesia. In hunc porro usum definitio cadit , ac circumscriptio, quod suis legibus Concilia perfecere. Sic in re non absimili ratiocinatur numquam satis laudatus Thomassinus in suis Resp. ad Notas Script. Anonymi .

Sed huc demum ejus redit oratio: confidere se , si quid in Conciliis sit in specie adversi his , quæ hactenus firmavit , (Subsistamus hic . Unde firmavit? Non certe ex Conciliis , nam ista sperat saltem non sibi contraria fore ; non ex Scripturis , nam nullas produxit ; non ex Patribus , nullos enim habuit suffragatores. Ergo ex capite, & ingenio suo.), id in alium sensum sibi non incommodum , omnino accipiendum . Videamus modo, utrum ex voto ei res cedat.

dat. Ergo antiquissimam ego Synodorum Eliberitanam produxi omnium sæculorum prædicatione dignissimam. Presbyteros ibi cum Episcopis sedentes, judicantes, subscribentes observatos volui, tum & judicium addidi celeberrimi Ferdinandi Mendoza, (de cujus merito adeatur Natalis Alex.) qui ex subscriptionibus Presbyterorum eorumdem infert decernendi auctoritatem.

Hunc ictum per se quidem gravissimum quomodo demum excipit Noster? Excipit primo Synodum Generalem non fuisse. At disciplinæ testis est antiquissimis temporibus in Hispaniis vigentis. Eo consilio non sola Illiberitana contentus fui, sed ex omni Christiano Orbe Synodos produxi id, quod agimus, confirmantes. Neque omisi ad hanc rem facientia ipsa Œcumenica Concilia afferre. Excipit 2. passuros non fuisse optimos illius Synodi Patres per Presbyteros Episcopalia jura attentari. Sed passi sunt. Quid tu hic facias? passi non fuissent, si te consuluissent. Consuluerunt illi porro Ecclesiasticos Canones, ex quibus non aliter, quam quod factum est, erat faciendum. Excipit 3. Presbyteros tunc nihil sine Episcopi jussione agere potuisse, ut satis evidenter supra ostendit. At ego pari evidentia probavi, nihil Episcopo agere sine Presbyterio licuisse. Excipit 4. can. 32. decerni lapsum in mortale crimen non a Presbytero (mortale crimen pro temporis disciplina ex illis erat, quæ publica oportebat piari pœnitentia), sed

sed ab Episcopo pœnitentiam accipere. Ergo alia, non mortalia crimina a Presbyteris erant animadvertenda. Additur, hunc lapsum in crimen mortale, cogente necessitate, reconciliationem a Presbytero obtinere, non sine tamen ejusdem Episcopi prævio consensu. At hæc omnia Presbyterio judicante cum Episcopo, statuente, subscribente sancita sunt. Ceterum insolens non est, ut vel ab Episcopis, vel a Conciliis graviora quædam facinora Supremæ Sedi integra delata sint, quod alio certe consilio factum est, quam quod Episcopis eadem plectendi facultas deesse crederetur. Canon demum 53. non Presbyteros, sed Episcopos respicit.

Ergo sic habe, concludit Noster, ab Episcopis vocatos fuisse Presbyteros illos utilem operam in Reformationis negotio allaturos Concilio.

Quam, obsecro, operam? *Grassantes enim singuli horum in locis suis corruptelas nosse poterant, ac de illis Episcopos admonere.* At id a Laicis æque discere poterant Episcopi, immo disertius; Laicis quippe universæ domus latius patebant, quam Sacerdotibus illo ævo satis parce hominum convictu, ac familiaritate utentibus. Saltem, subdit, vocati sunt, *ut redderentur plausibiliora plebibus ardua illius reformationis capita, quæ suis Presbyteris præsentibus, & consentientibus condita videbant*. Sat est, benigne; nihil amplius opus habeo. Ecce tu ipse in Synodalibus Statutis Presbytero-

rum requiris consensum. Tu ipse rationem egregie suppeditas, cur a Synodis demum Presbyterii consensus exposcatur. Id certe tibi verbum veritas ipsa furtim expressit.

Ad Arelatense Concilium te convertentem opus certe non erat fusiori stilo vel ejus Dignitatem, vel ejus cogendæ occasionem eruditissime præfari; tum quod nihil rei, de qua agimus, conveniebat, tum quod non reconditissimæ sunt eruditionis. Opportunius certe fuisset, si te idoneis instruxisses ad me oppugnandum argumentis. Id si fecisses, non confugisses ad illud, quod *indultum Cæciliano fuerit, ut aliquos e suæ communione Ecclesiasticos adduceret socios. Potestatem* iterum *Episcopis factam aliquot sibi adsciscere comites*. Nam quam frigidum illud est, quod statim ingeris: *Cur hæc, si omnibus Presbyteris licuisset Concilio adesse?* Nam statim tibi ego: licuisset, sed non expediisset. Œcumenicis Synodis omnibus licet Catholicis Episcopis adesse, sed hoc ipsum minime expedit, ne omnes uno simul tempore Diœceses deserantur. Quod gravius urget in re nostra. Nam pone ad Arelatense ex Galliis, ex Hispaniis, ex Africa, ex remotissima Britannia omnes ad unum Presbyteros voluisse pro more convenire, primo qui locus immensam capere potuisset multitudinem? tum porro quis tot Gregibus custodiendis relictus esset Pastor? At Presbyteri sedent: *Utique*, pergis. At non sedent tantum, sed judicant etiam; quod tu

sta-

ſtatim negas: *Judicant, id non facile admitto*. At id ſuperius fecillime, ac liberaliſſime admiſeras, ubi de Gregorio Magno ſermo fuit. Quoties a te ipſo diſſentis! Sed ſi non judicant, cur tanto labore, impendiis tantis, tam procul adducti? *Aderant teſtes furoris, ac licentiæ Donatiſtarum*. Male hærent omnia. Si teſtes deſiderabantur, non poterant id Laici homines teſtificari? cur Presbyteros inquietare animarum curæ perneceſſarios? Si Laicis Fides habita minime fuiſſet; non poterant teſtari id ipſum Epiſcopi? An coram ſolis Presbyteris Donatiſtæ fuerant debacchati? Sed Presbyteris solis denique munus id invidioſum peſſimo eorum omine commiſſum fuerat; nec ſatis erant soli Africani Presbyteri, inter quos Donatiſtæ verſati fuerant, quosque moribus, ac doctrina læserant? cur remotiores Presbyteri ex Britannia, cur ex Hiſpania, cur ex Gallia, quibus parum hæretici forte innotuerant, arceſſuntur? Sed cur tanto molimine talia, ac tanta deliramenta?

Hactenus non diſplicebat Anonymo, Prebyteros una cum Epiſcopis ſedere in Arelatenſi, nunc diſplicet in Laodicena. Græci credo Gallis præſtabant Epiſcopis. Canon ſic habet: *Neque oportet Presbyteros ante Epiſcopi ingreſſum ingredi, & ſedere in Tribunali, ſed cum Epiſcopo ingredi*. Noſter vero: *neque attentis Canonis illius verbis aſſerere cogimur Presbyteros ſedente Epiſcopo ſediſſe in Tribunali: dicitur enim in*

 al-

altera parte: *ſed cum Epiſcopo ingredi*, *addendum erat*, & *ſedere*; *at hoc non videmus additum fuisse*. Heu! pudet me ad Grammaticos descendere, & hominem Ellipſim docere.

Certe, pergit, *Laodicenà Synodus univerſali Eccleſiæ legem dare non potuit*. At morem poterat Græcæ Eccleſiæ testari; idipſum testata fuerat pro Hispaniis Synodus Illiberitana. At tu, qui negas id in univerſali Eccleſia obtinere, cedo Canonem aliquem Œcumenici alicujus Concilii; quo id vetetur.

Ceterum: *cum de diſciplina agatur*, *quæ varia variis in locis ſemper fuit*, *mirum non eſt Synodos cum Synodis collidi*, & *quod una in regione obtinebat*, *in aliis incognitum fuiſſe*. Quot evaſiones! ſed illa, quæ ſequitur, ſemper deterior est. Quid tu colliſiones Synodorum, quid diverſos in diverſis regionibus mores commemoras? Hæc non narrare modo ſufficit; oportet probare; alias secum tacitus Lector *nugæ nugæ* ingeminabit.

Et non vides nunc, addit, *ubique Generales Vicarios Epiſcoporum Presbyteros*, *immo ne Presbyteros quidem pro Tribunali ſedere*, & *judicare*? Certe mirabilis Noster est in perpetua ſecum pugna; nullus ei in hac parte palmam præripiet. Nonne tu idem ipſe es, qui modo Laodicenum Canonem commentans moleste ferebas, Presbyteros pro Tribunali sedere, atque eo rem protrudebas, ut Grammaticæ rudis videri malueris;

ris; nunc porro idem non Presbyteris modo, ſed aliis Presbyterio minoribus permittis? Quorſum ergo tot declamationes, tot jurgia, tot lites, cum nil diſſimile hactenus ego voluerim? *Ab his, qui Officiales in jure vocantur, nulla ad Epiſcopum, cum unum conſtituant Tribunal cum ipſo, appellatio.* Idem de veteri Presbyterio affirma, nullumque diſcordem habebis. *Nec repugnat, quin minoribus etiam Clericis, Epiſcopo delegante, judiciaria demandetur facultas.* Huc, huc, bone, te volebam. Delegata quidem ab initio Vicarii fuit jurisdictio: jure mox probante in Ordinariam abiit. Cum potuerit jus eam poteſtatem, quæ principio delegata tantum fuit, Ordinariam ſtatuere, cur perpetuo pergis, neque umquam defatisceris ad humanitatem, benignitatem, indulgentiam Episcoporum Presbyterii jura referre, quæ ut ut ab initio ab Episcoporum voluntate fuerint profecta, probantibus, ac sancientibus legibus ordinaria evaserunt? Sed tædet jam Anonymum ipsum in his amplius hærere; pulcherrimo igitur Epiphonemate rem concludit: *Ex facto ad jus non ſemper legitima eſt illatio.* Quibus quid pro coronide reponam, niſi consuetum illud *mentiris?* Jure hic quippe, non factis pugnavi.

In §. XVIII.

CASTIGATIO XX.

Nicænum, ac Chalcedonense Concilia pro Presbyteris ibi sedentibus, ac suffragii jure potitis a me prolata infirme satis Noster impugnat.

QUoniam de Magno Nicæno Concilio disserere Excursor Noster aggreditur, *operæ pretium se facturum putat, si paullo diligentius in id inquirat*. Beasti me, vir humanissime, nam te excurrentem persequendo jam defessus eram; oportebat tantisper animam recipere. Sed vereor, ut, quod tuum ingenium excurrendi est, datam fidem exsolvas. Ergo pedetentim libentissime te consector. Canones ergo ejus Concilii 4. 15. 18. *de interminato* (hic solitam desidero pueri correctoris diligentiam) *Episcopis, Presbyteris, & Diaconis mulierum contubernio procusos* perpendendos primo suscipis. Canonem mox 12. *qui interdicit, ne Episcopi, Diaconi, Presbyteri ex una in aliam Ecclesiam commigrent*. Canonem denique 13. *qui Diaconorum comprimit insolentiam adversus Presbyteros*. Sed cur bone, id, quod ex Thomassino adpinxeram, quæque meam mentem aperiunt, omisisti? *Superiorem hunc Clerum esse Episcopo conjunctum, reliquo Clero, & populo præeminens, imperitansque.*

Mo-

Modo ab hisce oculos non avertas, perge nunc, ac tuas meditationes exprome.

Omnia hæc nihil omnino evincere confidentissime assero. Quod confidentissime asseras, nil præter ingenium facis; quod nihil evincant, adhuc sub judice lis est. *Pone edixisse Concilium, Episcopos, & Presbyteros blasphemos gradu exturbandos, inferresne Episcopos, & Presbyteros in eumdem ordinem redigi, quia una, eademque lege* (pœnali) *constringuntur*? Ego porro confidentissime inferrem, *quin infremerent contra Dialecticæ, & quotquot sunt, boni sensus normæ*. Ad hunc enim modum ratiocinarer: Justitiæ distributivæ partes sunt, ut in pœnis irrogandis proportio habeatur non rei ad rem, sed rei ad personas. At in hypothesi tua eadem pœna Depositionis Episcopus, æque ac Presbyter plectuntur. Sunt ergo inter sese æqualis omnino Dignitatis. Quæ ipsa ratio suadet, injustam fore Principis legem, si sub eadem exilii pœna (quod secundo ponis) alearum ludo patriciis, ac plebeis interdiceret. Dialectica ergo tua eo demum te ducit, quo non vis. Neque id quidquam ego volebam, nec Canon ad id cogit ullo modo, qui sapientissime, quoniam de viris diversa dignitate conspicuis conjunctim loquitur, nulla apposita pœna, sola contentus est interminatione. Omnes quippe istas, licet dispari ratione, supremas tamen in Ecclesia Dignitates præ ceteris Clericis non solum a tam fœdo crimine, sed a criminis

ipsius suspicione oportet omnino vacare.

Tenet Noster Episcopos, & Presbyteros Can. 12. vetari ex una in aliam Ecclesiam commigrare. *Sed ego Parochus, & tu Episcope*, ait, *residere jubemur, stationemque deserere vetamur. An quia unum, & idem de me Parocho, & de te, Episcope, jura decernunt, pares erimus?* Sed cui bono, tanta tibi Dialecticæ peritia, cum tibi possim statim ingerere: *Nego suppositum*? supponis enim, me id velle, aut asserere, aut id posse ex præmissis erui.

Longe infirmius esse illud criminatur, quod ex compressa Diaconorum insolentia attexitur. *An non*, inquit, *animadvertendum in istos? Injuriosos Diaconis ipsis Acolytos impune dimisisses?* Nihil minus. Sed Nostro non latet, etsi sedulo dissimulat, potiorem fuisse caussam, cur de Diaconorum insolentia caveri deberet. Ecclesiastico præerant Ærario, & hac in re ipsos sibi obnoxios habebant Presbyteros, quos supra non semel elati acerrime posthac plus vice simplici castigandi fuerunt. Munienda ergo fuit adversus Diaconorum intemperantiam Dignitas Sacerdotalis. Vides ergo *horum argumentorum imbecillitatem acumine meo*, quod tu mihi benignissime tribuis, *pervidere* nequivisse.

Age nunc jam velitatione perfuncti, acrius certamen subeamus. Ego ergo gravissimo me Nicæni Concilii judicio tuebar *ratum esse jubentis, quidquid Alexandrina Synodus, cui Presbyteri adfuerant, contra Arium decre-*

creverat, quod ſane non confirmaſſet, ſi Presbyteri judices fuiſſent illegitimi. Poterat ſane Noſter, ſi quid ſolidi ad manus habuisset, tribus ſese expedire verbis. Sed placuit ei, cum rationibus nequiret permovere, longo Lectorem sermone minus attentum facere, eique hoc pacto animum explere. Mihi, cui certum eſt eum perſequi per longas licet ambages, improbo labore, in eo præſertim exscribendo, opus eſſe video. Totius igitur negotii hujus seriem pollicetur, *prout a probatiſſimis Hiſtoricis accepit*, expoſiturum. Probatiores, puto, Hiſtoricos præ Epiphanio, quem ego protuli, in promtu habebat; nam quia Epiphanius *paucis verbis* rem enarraverat, Noſtro, qui orationis prolubium eſt, in ea ipsa, quam de Hæreſibus conſcripſit hiſtoria, *Hiſtoricum non agere videtur Epiphanius*. Sed jam ipſum audiamus. Alexander ego Alexandrinus Episcopus, ubi Arium, sæpe ut ad bonam rediret mentem, fruſtra admonitum in pervicacia obfirmatum agnovit, Concilium Alexandrinum coegit, in quo de ipſo Synodali animadverſione decerneretur.

Advenere Epiſcopi, centum aſtiterunt & Presbyteri, & Diaconi. Incertum ex hac verborum conceptione, num plures Epiſcopi, an Presbyteri convenerint. En accurationem Hiſtorici probatiſſimi. Epiphanius, qui breviſſimus eſt, nihil dubii relinquit, quin Episcopos numero superarint Presbyteri: *quamobrem Alexandriæ habito Presby-*

terorum, *&* *quorumdam*, *qui aderant*, *Episcoporum*, *conventu*. *Quod* (*sit semel dictum*) *ne mireris*. *Cum enim perditissimi Hæresiarchæ Dogmata essent excutienda*, *sophismata exsufflanda*, *cavillationes dissiciendæ*, *veritas ex Scripturarum*, *&* *Traditionis fontibus eruenda*, *perutilem in his operam navare poterant Presbyteri*, *&* *Diaconi doctrina eminentiores*. Hui! Numerus justo amplior! Quot enim denique excutiendo, exsufflando, disjiciendo, eruendo desiderari potuissent Presbyteri? Decem, aut viginti nonne plusquam oportebat, satis fuissent? *unum novimus certe*, ut tu ais, *Athanasium tunc Diaconum in Magno Nicæno disputantem*, *&* *confusione hostes Fidei suffundentem inclaruisse*. Nonne hæc eadem, quæ Presbyteris assignas, præstare Episcopi potuissent; immo & debuissent? ipsis enim definitivum judicium proferre conveniebat. Quid quod longe ante multo Hæretici hominis Dogmata excussa fuerant, exsufflata sophismata, cavillationes disjectæ, ex Scripturis, ac Traditione veritas eruta. Alexander certe sæpe hominem monuerat, increpaverat, ex Scripturis, ac Traditione redarguerat. Id secum Ecclesiastici homines, inter quos pestiferam labem sparserat ille veterator, præstiterant. Quorsum hæc? Ut nimirum appareat, novis disputationibus, atque excussionibus in actione Synodali minime opus fuisse.

Sic, pergit Noster, *posterioribus temporibus scimus undique doctissimos Presbyteros*,

Sæ-

Sæculares, Regularesque (Theologos Consultores vocant) accitos. Hi egregie instructi ad amussim perduellium sententias expendentes, judicabant quænam essent nigro carbone notanda, quænam ferenda, anathematismos cudebant; deinde cuncta Episcopis exhibebant in generali sessione proponenda, & probanda. Quid interea Episcopi? Otiabantur omnino, auscultabant tantum? Si porro probabant, aut improbabant, temere id omnino fieri opus erat. Nam quomodo rite probarent, vel improbarent, quæ minime ipsi expenderant, num ad veritatis amussim essent exacta? necessario Theologorum judicio fidendum erat, ut rem denique non Episcopi, sed Theologi confecisse dicendi forent.

His tamen in sessionibus nullus inde Presbyteris illis Theologis concessus locus est. Neque oportebat quidem; nam solitarie ipsi ex te dogma procuderant per Episcoporum os in his sessionibus promendum. *Cum Prælatorum tantum Ecclesiæ, ILLORUMQUE, QUIBUS EX PRIVILEGIO JUSTA DE CAUSSA ID SIT INDULTUM HOC PROPRIUM SIT.* Infelices Theologi Consultores, ut quoniam ipsi doctrinas expenderunt, anathematismos procuderunt, locus esse iis nequeat in sessionibus, ad quas aliis Presbyteris ex privilegio, aut indulto patere potest accessus! *Nec humanæ prudentiæ, sed Spiritus S. directioni, quam Ecclesiæ Pastoribus pollicitus est Christus Synodalium decretorum ασφαλτεια referatur accepta.* Inter-

Pa-

Pastores ergo Ecclesiæ (ecce quam ingenue) numeras Tu ipse Presbyteros , quibus ex privilegio Synodis interesse datum est, ut ipsis perinde Spiritus S. directionem Christus Dominus pollicitus sit.

His statutis, quæ tua ipsius sunt , vide; num constare possit, quod continenter addis, & superius etiam attuleras (nam crambem recoquere nulla tibi religio est) ex Concilio Chalcedonensi: *mittite foras superfluos, Concilium Episcoporum est*. Nam si Episcopis tantum Conciliis jus est interesse , ubi Presbyteri consultores tui sedebunt? ubi illi , quibus facultas ex privilegio facta est ? Hos quoque foras mittendos decernis , cum præsertim nulla tum temporis inter Congregationes , ac solemnes Sessiones foret invecta distinctio ; sed omnia in Conciliis ipsis unoque loco cuncta transigerentur. Sed quid hominis es? Tu ipse tua dissipas: ecce statim doces, quinam essent foras mittendi . *Extat*, ais, *hac de re , cum de hoc ipso Concilio Chalcedonensi convocando agebatur , insignis S. Pulcheriæ Aug. ad Strategum Bythiniæ Consularem epistola , qua præcipit , ut urbe , & vicinis regionibus submoveat Clericos , Monachos , Laicosque , qui jam tumultuari , & cuncta inceperant miscere* . Hos submove , & quieti erimus ambo.

Hoc ipsum inconcussa , pergit adhuc , *sequentium sæculorum monumenta evincunt . Ab his edocemur ipsa Nationalia Concilia semper Episcoporum fuisse*. Transitio de ge-

nere

nere in genus. Eramus in Conciliis Œcumenicis, nunc ad Nationalia contento gradu percurrimus. *Ipsa Nationalia Concilia*. Eruntne hæc Generalibus potiora, ut ea peculiariter indigitentur? Sed, obſecro, in Œcumenicis Conciliis ex Privilegio Presbyteris ſuffragii pleni dictio eſt, non vero in Nationalibus? Singularis cujusdam generis hæc certe oportet eſſe Concilia. Sed rem ipſam accipiamus. *S. Avitus Viennenſis*, inquit, *ac S. Viventiolus Lugdunenſis Metropolitæ an.* 517. *Nationalem Synodum, ad quam omnes ex Burgundia Episcopos invitarunt, habuerunt, quamvis aliquantulum varia ratione.* Suppoſititia mihi plane videntur, quæ hic Noſter nullo ex Scriptore producit. Nam primo oportebat locum indicatum eſſe Concilii, num Viennæ, num Lugduni habitum. Deinde quid eſt illud, quod contra Canones duo Concilium indicunt, duo præſident? Nationalem Synodum Primati jus eſt indicere, eique pariter præeſſe. Accedit quod maximum eſt, integri Sæculi VI. Nationalia, ac Provincialia Concilia percurrenti, tria occurrunt Lugdunenſia, primum sub Viventiolo congregatum, in quo decem Epiſcopis adſidentibus sex conditi ſunt Canones (Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. VI. cap. 5. art. 6.). Alia duo nihil ad præsentem rem faciunt. Sed illi rem narranti fidem adhibeamus. *Avitus*, ait, *in convocationis Edicto rogavit Epiſcopos, ut adeſſent ipſi, nec niſi infirmitate cogente quiſquis eorum duos*

pro

pro se Presbyteros surrogaret. Nihil hic insolitum; Episcopos quippe caussarios moris erat aut unum, aut duo pro se sufficere. Id vero non excludit alios Presbyteros, quos adesse oportebat nomine proprio. *Viventiolus vero non solum Episcopos convocavit, sed & omnibus Ecclesiasticis se Concilio sistendi potestatem fecit: discriminis tamen hos inter, & illos expressit rationem scilicet Ecclesiastici venirent, ut regularum, & statutorum ab Episcopis conditorum essent ipsi populo testes*. Ergo ad testimonium dumtaxat ferendum acciti sunt hi Presbyteri? Nonne poterant suis subscriptionibus Episcopi hæc a se demum condita esse statuta testari? Nonne per publicum tabellionem idipsum præstare? Non erant fortasse ex illis hi Presbyteri, qui possent disputando, excutiendo, exsufflando, eruendo, ut supra ajebas, operam perutilem Synodo navare? Sed testando denique sint adhibiti; testificati sunt certe illa ab Episcopis condita statuta, non sine tamen suo & consilio, & consensu. Quæres, unde id habeam? Et ego a te iterum, unde habeas nudum his Presbyteris tandem permissum fuisse testimonium; aut Tractorias exhibe, ut quis nostrum verus sit, innotescat. Quæ cum ita sese habeant, manifeste vides, nullum Presbyterorum querelis fuisse locum, cum nulla in re hic læsi fuerint. Atque hoc est illud unum inconcussum monumentum sequentium sæculorum; nam cetera, quæ jactitas, opinor, adhuc in tuis forulis dormiunt. Sed

Sed colligit ſe demum Noster, & post longam excurſionem ad Alexandrum redit. *Is ergo*, ait, *centum Epiſcoporum* (aliquot forte adſuiſſe in Urbe aſſerit Epiphanius: centum probatiſſimi Historici ſui, quot nec in tota Ægypto, ac Lybia credibile est tunc extitiſſe) *decernentium judicio fretus, Presbyterisque plaudentibus, & probantibus, factumque collaudantibus, Arium refractarium de Eccleſia ejicit.* Cur, bone, hanc tibi gloſſam permittis, *Presbyteris plaudentibus, probantibus, factum collaudantibus*? An non merito id cerebro tuo, non veritati quis adscribet? Epiphanius habet: *Alexander habito Presbyterorum, & quorumdam, qui aderant, Epiſcoporum conventu de eo* (Ario) *quæſtionem habet, & diligenter examinat; tum veritati cedere detrectantem ejicit ex Eccleſia.* Presbyteri, æque ac Epiſcopi quæſtionem habent, examinant, Eccleſia ejiciunt. Cur ergo ad Presbyteros, invito, ac reluctante Epiphanio, decreto excepto, plausus, ac probationes rejicis? aut cur non æque hæc omnia in Episcopos adſtantes confers? Non oportebat in aperto teſtimonio pro lubitu rem confingere.

His optime compoſitis Lectorem appellat Anonymus his verbis: *Vide, ſi his poſitis, ſtare queant illa tria, quæ ex facto Noſter infert.* Nec ego Lectoris auctoritatem defugio: 1. quod in graviſſima Fidei quæſtione cum Epiſcopis Presbyteri ſententiam ferunt. Negat Noſter ex dictis, sed minime probatis.

tis. Affero ego, ac Lectori dictum meum probavi. 2. Quod in refractarium Presbyterum non Episcopus solus, sed totum Presbyterium anathematis, ac proscriptionis pœna animadverterunt. Negat iterum Noster pro libidine sua. Ego, seu Epiphanius pro me afferuit.

Supereft tertium: Judicium hoc, quo nihil momentofius, magna Nicæna Synodus confirmat, non profecto confirmatura, si Presbyteri Judices fuiffent illegitimi. Super hoc tertium nihil adhuc Nofter commentatus fuerat. Id nunc aggreditur. Ad Dialecticos me amandat fciscitatum, num recte mea procedat illatio. Cur me ad alios, obsecro? tu quid hic non vales? Te judicem, arbitrum te folum adposco. *Placet*, inquit, *nobis fic ratiocinari. Laxas permultas in Ethica Chriftiana propofitiones damnavit Clerus Gallicanus, quas eafdem damnavit paullo poft Sedes Apoftolica. Ergo infallibile fuit judicium Cleri Gallicani? Affirmabis, quia alias Sedes Apoftolica non confirmaffet judicium illud.* Mira de genere in genus Tranfitio. Hic quærimus de judicio legitimo, excurris tu ad judicium infallibile. Judicium Cleri Gallicani confirmavit Sedes Apoftolica, non quod infallibile effet, fed quod verum, ac legitimum, licet illud confirmans auctoritate fua fanxerit, & infallibile effecerit. Abfimile non eft illud aliud, quod addis: *Nulla umquam extitit hærefis, vel ab Ecclefia in Concilio congregata, vel a foli-*

taria

taria Petri Cathedra proscripta, *quam ante publicus rumor*, *& popularis ipse clamor non proscripserit. Ergo dum Ecclesia damnavit hæresim, dum popelli judicium probavit, nos in populo infallibilem reverebimur auctoritatem, quia si infallibilis ille non esset, Ecclesia ejus judicium non confirmasset*. Sed si ita est, nullius umquam, nedum vilis popelli, confirmare Ecclesia posset judicium, quia nullius præter Ecclesiam infallibile est judicium. Confirmat ergo Ecclesia judicium quodcumque, a quocumque demum proficiscatur, modo verum, rectumque sit, eique auctoritate sua infallibilitatem conciliat. Quis crederet hominem tantum tantopere desipere?

Eadem prorsus me contentum esse posse ait Noster responsione, cum a Concilio Chalcedonensi confirmata esse affirmo Acta Synodi C. P., cui Presbyteri tres ac viginti subscripsere. Sed mox, cum persentisceret ipse, mihi responsione illa insulsa satisfieri minime posse: *jejunum se*, subdit, *nolle videri*, *& multa addere se posse*, *cum præsertim Synodi illius ad manus acta habeat*, *quorum sola inspectione caussam suam mirifice commendari dicat*. Probissime, cedo ergo Acta, *quibus asserta Presbyterorum jura non dico confirmentur*, *sed potius evertantur*. *Nimirum agebatur quæstio de jurisdictione*, *Catholicosque inter Episcopos lis erat*. *An ad has componendas evocandi Presbyteri*? Sed quid tu contra factum pugnas? ad has lites

 con-

consopiendas evocati sunt Presbyteri, ac Synodo subscripserunt. Quid quod Presbyteris id negotii a Synodis ipsis datum est. Audi Turonensem II. Can. 2. statuentem, ut si dissidium aliquod, & discordia inter Episcopos emerserit, *electis ab utraque parte Presbyteris litis jacula finiant, & vota pacis acquirant*, addita in Contumaces pœna. *Si autem reconciliari neglexerint, congruæ pœnitentiæ a Synodo sunt addicendi*. Nat. Alex. sec. VI. cap. 5. art. 23.

At Euthycheti respondit Martinus Abbas: *non nostrum est, sed Episcoporum Regulis Fidei subscribere*. Recte quidem; nam ad Episcopos præcipue id spectat, ad Presbyteros, ubi Conciliis adesse jubentur. Extra Concilium Martinus Abbas id Euthycheti rescripsit. Sed cur istud, cum mox tu dixeris: *Nullum Fidei negotium SS. Episcopo* (Flaviano), *nullum Synodo propositum, de jurisdictione tantum inter Episcopos certamen*?

Sed jam pœnituit Nostrum: responsione superius data paullo ante contentum me esse jubebat; nunc ad nauseam usque eadem ingeminat. Testes Presbyteros facit, doctrinæ Eutyhchetis, consiliique conquisitores; *Cursores* exhibet illos Euthychetem advocatum missos. (Si Presbyteri *Cursores*, etiam Episcopi hoc officium perfuncti sunt aliquando; sic Nestorio per Episcopum imperatum est, sese ut Ephesino sisteret). Sed nihil æque me, ac iterata, atque iterata

de-

defatigat repetitio, nec minus, puto, Lectorem. Quid plura autem? Facto urgetur Noster. Abbates tres, & viginti Synodo subscribunt, quos inter Presbyteri 18., unus Diaconus, Laici 4. Quid ad hæc ille? ut mittam illius ineptias, hoc postremum est ejus effugium, Episcopum Abbates illos ad subscribendum impulisse, *uti de illorum Orthodoxia tuti redderentur*. Quam frivolum! Ergo & Episcopos ad subscribendum Synodis Ecclesia compellit, ne possit de illorum Orthodoxia suspicio oboriri ulla? Sed Laici etiam quatuor subscribunt. Quid porro? Ego tibi hunc scrupulum eradicitus evellam; nam tu scrupulis meis solitus es mederi. Ergo ex Gersone de Orig. Juris Consid. 13. accipe: *De iis, qui ad Concilium conveniunt, distinguendum est: alii quippe suffragio consultivo, alii definitivo potiuntur. Inter primos censentur, qui peritiam eorum, de quibus quæstio est, profitentur, quæ usque ad mechanicas artes extenditur, veluti si de Ecclesia restituenda quæreretur, Architecti essent consulendi*. Habes ergo, cui Ordini Laicos, qui Concilio intersunt, accenseas.

In §. XIX.

CASTIGATIO XXI.

1. *Excursoris intemperiæ in Synodum Antiochensem. Cohibetur prolatis Scriptoribus ejus auctoritatem agnoscentibus.*
2. *Ejusdem hallucinatio circa Canonem, quem perstringit.*

QUis me furor transversum egit, quis me malus abstulit error, ut hic Antiocheni Concilii mentionem injecerim? Tantam enim Anonymo in nasum bilem concivi, ut infremat, excandescat, me omni supplicio dignum inclamet, ac tantum non Arianis me accenseat. Atque rejectum quidem Concilium illud a Julio SS. Pontifice, ab Athanasio, a Chrisostomo in iis, quibus Ecclesiam impetebat, præmonueram. Nihil id profuit omnino, quo eum mihi facerem placabiliorem. *Miserum me Eranistem subsidia mihi undique corradentem* contumeliose satis appellat. *nec satis videntem, cadat ne res, an recto stet talo: puduisse debere me maculis istis egregium voluminis mei splendorem adspergere.* Incertus hic ego consilii hærebam, cum mihi forte fortuna Hespenius sese obtulit vindicem, defensorem, Apologistam opportunissimum. Quamobrem nihil mihi reliquum est aliud, quam huc illum etsi æquo longiusculum, producere, transferre, ex-

scri-

scribere. *Episcopi hic congregati ; Duce Eusebio Nicomedienſi Arianorum fautore, ut ſuam de hæreſi Ariana opinionem cautius occultarent, atque a Nicænis, & antiquis Canonibus ſe non recedere perſuaderent, admodum ſolliciti fuere, ut diſciplinam Eccleſiaſticam editis Canonibus rite ſtabilirent, ut vel ſic ſe Orthodoxos oſtenderent.*

Itaque vigintiquinque de ſtabilienda Eccleſiæ diſciplina ediderunt Canones, qui in duobus tam Græcis, quam Latinis Canonum Collectionibus tamquam hujus Synodi Canones referuntur: nec ullibi veſtigium aliquod occurrit, quo innueretur hos eſſe diverſarum Synodorum Canones ſub unius Synodi nomine collectos.

Verum quidem eſt, plures ex hiſce Canonibus ſanctioris diſciplinæ ſtudium ſpirare; ſed quis neſcit, etiam ab hominibus hæreſis fermento infectis nonnunquam ſanctiſſimam, optimamque Eccleſiæ regendæ diſciplinam præſcribi, decerni, atque prædicari, maxime dum & ipſi Orthodoxi videri amant.

Immo nonnunquam a ſimilibus ſolent optima quæque, ac ſanctiſſima præſcribi, aut ſaltem, ut præſcribantur, permitti, licet nec ipſi ea obſervent, nec ſervare intendant, ut proinde neque mirum eſſet, etiam ab Euſebianis prolatum fuiſſe Canonem XI. quo Aulæ Imperatoriæ aditus ſub certis conditionibus limitatur.

Illud quidem apud omnes in confeſſo eſt, hiſce Canonibus puriorem, ac priſtinam Pa-

trum disciplinam mire elucere: neque ullius pene Synodi Canones hisce utilitate, & disciplinæ puritate, ac sanctitate præstare.

Quin & hos Canones jampridem in Codicem Canonum relatos fuisse, evidenter evincitur ex Actis Concil. Chalced. Constat enim a Codice Canonum relectos fuisse quatuor hujus Synodi Canones, & a Patribus, ut JUSTAS PATRUM REGULAS, item ut SACROS PATRUM CANONES fuisse probatos.

Quodque Sæc. IX. Ecclesia Rom. his Canonibus uteretur, & tamquam Ss. Patrum regulas veneraretur, probat Synodus Rom. sub Leone IV. Cum enim a Patribus illius Synodi peteret Leo, quid cum Presbytero Anastasio Patrum Regulas, ac statuta violante agi oporteret, mox omnes Episcopi, ut inquiunt Acta, unanimiter dixerunt: quid aliud arbitrari, aut proferre valemus, nisi ut Ss. Patres in Antiocheno Concilio residentes tertio Capitulo promulgarunt, & inviolabiter statuerunt? Horum sententiam probans Pontifex respondit: Placet. Quin & ad Episcopos Britanniæ scribens idem Pontifex Canones Antiochenses recitat inter illos, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi judicantur, & Clerici. Dist. 20. Can. 1.

Mirum proinde displicuisse Baronio, quod Gratianus hanc Synodum Antioch. inter Concilia a Catholicis habita recenseat, quia, ut Baronio detur Synodo huic nonnullos professione Arianos interfuisse, eosque ibidem dominatos esse, illud tamen nimis manifestum

est,

est, Canones hujus Synodi tamquam disciplinæ utiles, ab Ecclesia non Orientali dumtaxat, sed & Occidentali multis Sæculis ante Gratiani tempora fuisse agnitos, ac retentos. Quare Antonius Augustinus, Canonum illorum Auctores credit fuisse Arianos; sed tamen, ait, receptos esse constat, & in Corpore Canonum positos ante Concil. Chalced. ut ex ejus Act. XI. apparet. Lib. I. Dial. II. de Emendat. Gratiani.

Quod contra hos Canones objicitur, ac præsertim XII. ex SS. Chrysost. Innoc. I., & Jul. I. examinabimus in Schol. ad dictum Can. XII. qui adeatur omnino. Neque enim omnia hujus præclarissimi Auctoris huc facientia exscribere vacat.

Eat nunc, & contra tot, tantosque Viros, contra tantas Auctoritates bilem suam evomat Noster. Tutus ego interea hisce suffragatoribus, priusquam hinc abeo, duo Nostrum admonitum volo. Primum turpiter eum lapsum memoria esse, nec nisi per summam injuriam vociferari: *Temperare mihi non possum, quin altius clamem in Theologum nostrum audentem aliquid commentari in Can. IV. Antioch. Hic est celeberrime infamis Canon ille, quem invidia expressit, furor extorsit, hæretica pravitas procudit. Hunc in Canonem peculiari modo detonuere Julius, & Innoc. I. Hunc Sardicensis Synodus conculcavit. Hunc 42. Episcopi Chrysostomo adhærentes diris devoverunt. Atqui peregerat idipsum multo ante Magnus Atha-*

 na-

nasius, totiusque Orbis Catholici vota in illius reprobatione convenere. Et tamen Noster dignum existimat illum, in quem longum edat Commentarium. Vide, quo partium studia abripiant hominem. Vide, quo hominem proruat incogitantia? Quartus Canon non est, quem tu maledictis incessis. Est XII. Canon appellatus Sacerdotalis, cujus caussam nominis quærere diliuli; (nec scire fas est omnia). Adesis Espenium Schol. in hunc Can. Ceterum Canon IV numquam, quod sciam, male audiit; quin ejus auctoritate Chalced. Synodus usa est Act. 4. adversus quosdam Monachos, volentes communicare Dioscoro Arch. Alexandrino, postquam a Synodo Chalcedonensi fuerat depositus. Refertur apud Grat. causs. II. quæst. 3. Can. *6*.

Alterum, quod eum volebam, illud est: Quintum hujus Concilii Canonem, quem tu caussæ meæ infestum ajebas, nihil habere omnino, quod incommodet. Agitur ibi de pœna in Presbyterum immorigerum, Altare contra Altare statuentem, nec Episcopo suo dicto audientem, irroganda; quem Canon, utpote seditiosum, Ecclesiam conturbantem, ac sollicitantem opprimi etiam per exteras jubet potestates. Quæ omnia quorsum derives, aut in me intorqueas?

In

In §. XX.

CASTIGATIO XXII.

1. *Iterum de Concilio Nicæno. Eusebius a Nostro pessime habitus purgatur. Cavillationes disjiciuntur.*
2. *Contradictio insignis Anonymi occasione Concilii Sardicensis.*
3. *Anonymi maledicta in Africana Concilia caussæ infirmitatem produnt.*
4. *Futiles contra Chalcedonensis Concilii auctoritatem Excursoris replicationes.*

BEne habet, quod *nullam prolixam, mole tam nullam putet orationem Excursor Noster, quæ sibi de M. Nicæno Concilio sermonem fecerit. Erit illi jucundissima semper hujus mentio, centies licet, milliesque habita.* Sed proh malum! Tantam jucunditatem continuo illi contaminat Eusebii Cæsariensis objectus. Statim hinc a lætitia conversus in rabiem conviciis illum proscindit, ruit, agit, rapit, tundit, prosternit. Equidem agere illum pro ingenio sino, neque illi litem movere velim de impacto Eusebio Arianismo, etsi expedita adhuc res non est, Scriptoribus aliis alio abeuntibus. Illud stomachor unum, nebulonis appellationem, qua hominem exornat. Nam qua tu facie virum contumelioso hoc nomine appellas, de cujus gravitate, eruditione, doctri-

na universorum est hominum existimatio; illorum etiam, apud quos hæreseos suspicione laborat? Nonne tali te, qui res tam leviter judices, hocce vocabulo jure meritissimo Eruditi cohonestaverint? Sed cur, amabo, tantopere Eusebio infensus es? Minus fortasse, opinor, quod ab Arianis steterit, quam quod caussæ meæ favere videatur. Nam absque eo esset, nil commeruisset, cur a te indignissime exciperetur. Quanti enim est, quod Episcopos, qui Nicæno interfuerunt Concilio, ad ducentos quinquaginta numeravit? Potuissetne homini peracuto, atque ingeniosissimo in mentem venire, Concilii auctoritati detractum iri, si Episcoporum, qui ibi aderant, numerus minueretur, perinde ac si legitimum, justæque auctoritatis Concilium non esset, si minor eo Episcoporum numerus confluxerit? Nonne illud justum, legitimumque habetur Concilium, quod a legitima indictum potestate sufficienti Episcoporum frequentia celebratur? Quot Synodi Œcumenicæ minori hac fortasse commendantur multitudine Episcoporum? Eruditorum certe nemo, quibus ratum est, Episcopos octodecim, ac trecentos ad Nicænum confluxisse; aliquid simile de Eusebio suspicantur. Melius certe Nat. Alex. Hist. Sæc. IV. Eusebii locum in mendo cubare autumat; etsi nec id quidem mihi credibile fiat, quandoquidem, sive integra Scriptura, sive numericis notis numerus esset ab Eusebio elatus, pernimium inter utrumque numerum in-

intereſt, neque satis appareat alterius pro altero suffectio. Mihi porro ſic placet, incertum eſſe apud Scriptores horum Epiſcoporum numerum; neque satis conſtare discrepantes inter aſſertiones, quæ cui denique præferatur. Hi ergo Episcopi, ſi Athanaſium ſi Epiphanium audias, erunt 318., ſi Euſebium, qui & ipse cum Athanaſio Concilio interſuit, 250., ſi Sozomenum 320., ſi Marium Victorinum 215. Impeditiſſimam ergo vides rem eſſe. Simile quid de Concilio Sardicenſi comperies. Ibi quippe ex Theodoreto præſentes aderant Episcopi 250., ex Athanaſio ad 300., ex Socrate, ac Sozomeno 316. Cum porro communiſſima obtineret ſententia Patres octodecim, ac trecentos Nicænum habuiſſe Concilium, mihi conjectari licere putabam, minorem Epiſcoporum numerum Presbyteris eodem convenientibus ſuppletum. Priusquam alio convertor, nolim crimen aliud Euſebio ab Anonymo impactum prætermittere. Illud eſt porro, quod ex odio in Nicænum Concilium, nullum huic in Hiſtoria ſua locum dederit; neque enim poterat nobiliori exitu hiſtoriæ ſuæ finem imponere, quam tamen ad tempus prope ejuſdem Concilii perducit. Sed Euſebium purgaturus ſatis probabilem rationem producit Valeſius apud Nat. Alex. in Euſebio, cur Nicæni Conc. commemoratione Hiſtoriam ſuam concludere noluerit. Nimirum *cum Euſebius pace illa, quæ poſt perſecutionem Diocletiani cœlitus affulſit Ec-*

cle-

clesiæ, Historiam suam claudere decrevisset; quemadmodum ipse testatur in exordio Operis sui, Nicænæ Synodi commemorationem de industria vitavit, ne seditiones, ac tumultus Episcoporum inter se rixantium exponere cogeretur. Quippe Historiarum Scriptores id præcipue curare, ac providere debent, ut opus suum illustri, ac glorioso exitu concludant, sicut jampridem monuit Dionys. Halicarnassensis in comparatione Herodoti, ac Thucididis. Nullus autem eventus illustrior ab Eusebio potuit optari, quam pax illa, quæ post cruentissimam persecutionem a Constantino reddita fuerat Christianis, cum extinctis ubique persecutoribus, nullus jam præteritorum malorum superesset metus. Hæc, opinor, judicii temperantia magis doctis probabitur, quam intemperans Nostri acrimonia.

Quis vero temperet a risu, cum Noster certa, explorata, compertissima facta suis argutationibus studet infirmare? Duo quippe evidentia facti constant, & Attalum Presbyterum Nicæno subscripsisse Concilio, & eumdem in Aquilejensi Synodo justam damnationis retulisse sententiam: utriusque rei hanc Synodum testem dedi; de hac Synodo hæc habet Nat. Alexand. Hist. Eccl. art. 4. §. 36. Sæcul. IV. *Ad Arianorum Historiam spectat etiam hæc Synodus, contra Palladium, & Secundinianum Episcopos Arianos, & Attalum quemdam ejusdem Sectæ Presbyterum Gratiani Imperatoris mandato congregata*

gata an. 381. Attalum hunc Concilio Nicæno interfuisse, eique subscriptum ejus nomen fuisse, hæc ipsa Synodus disertissime testatur, ut infra patebit. Quæ vel firmissima argutandi ratio hiscere contra valeat? Atqui Noster suis calculis, ac supputationibus illam tantam facti inconcussam celebritatem, si superis placet, inficiari conatur. Nicænum habitum, ait, an. 325., Aquilejense an. 381. scilicet quinquagesimo sexto post anno. *Quot annos tunc Attalus natus erat, quandoquidem provecta jam ætate ad Presbyterium ascendisse pro temporis disciplina oportebat*. Tricesimo anno fac tu illum Presbyterum initiatum pro illius ævi ratione; addesis annos 56. memoratos, habebis illum anno ætatis suæ quinto, & octogesimo Aquilejensi demum interfuisse. Homo ergo annos natus 85. *larva* erit, *depontanus*, *recalvaster*, *indignus*, *quicum Ambrosius de Fide quæstionem moveat*. At fuerit Attalus, depontanus, larva, silicernium, evidentia facti constat, utrique illum Concilio adfuisse: quid tu in re certissima tricaris? Non absimile quid mihi tecum contingit, quam illi comparatum erat, qui Philosophum motum in rerum natura dari negantem, agitando sese, ac movendo revicit.

Sed responsionis imbecillitatem ipse Noster agnovit. Quamobrem alio sese convertit. *Dum audimus*, inquit, *Attalum subscripsisse in Tractatu Nicæni Concilii, in Concilio Nicæno, non ita debemus accipere,* quasi

quasi Attalus Concilio adfuerit, & subscripserit. Sed exploratum esse debet Fidei formulam a Niceno conditam Attalum longo post tempore ratam habuisse, illique subscripsisse. Lectores, vestram Fidem! subscriptio in hæc Attali sit, quod vult Noster, formulæ Nicænæ subscriptio; sed facta est ea *in Tractatu Niceni Concilii, in Concilio Niceno.* Ergo non *longo post tempore* subscripsit Attalus, sed eodem loco, eodemque tempore, quo ceteri Episcopi, qui in *Tractatu Conc. Nicæni, in Niceno Conc. subscripserunt.* Eo vel magis, quod sub suo Episcopo Agrippino subscripserat, qui non alibi, quam in Concilio, ad quod cum aliis convenerat Episcopis, subscripsit. Vides, quam feliciter Noster interpretur, quæque nobis venditet somnia.

Cur Sardicense Concilium *Summas Ecclesiæ Dignitates*, Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum nominet, mirari nos vetat Anonymus, *si ad illa, quæ de Sacerdotii excelsa dignitate supra se innuisse affirmat, attendamus.* Atqui quot supra hic ipse turbas concivit Noster, quod ex Eusebio Cæsariensi *Supremum in Ecclesia honorem Presbyteratum* ego appellaverim! Parum abfuit, quin Presbyterianis me accenseret. Sed sic homo est, prout eum magis, minusve furor abripiat, severior, aut indulgentior est: De Valentino vero Concilio Depositionis pœna in Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos animadvertente, qui de cri-

crimine quopiam fuerint in Ordinatione convicti, adire nos jubet Anonymus ea, quæ ad Nicænum Canonem dixit de interdicta Ecclesiasticis subintroductarum mulierum cohabitatione. Et ego vicissim ea illi oppono, quæ ibi in contrarium edisserui.

Hactenus placide Noster; nunc subitas assurgit in iras. Solemne vero illi est, ut quoties alicujus argumenti pondere præter morem opprimitur, desperatque se aliquid solidi, quod reponat, inventurum; viperino confestim cruore linguam imbuat, carpat, obloquatur, maledicat. Nihil tunc illi sanctum, inviolabile, religiosum, quod non obterat, non proculcet, ipsæ licet sint Ecclesiæ Synodi antiquiores, sanctiores, toti venerabiles antiquitati. Responsurus ergo Africano Canoni, qui præ ceteris luculentius rem Nostram conficere videtur, in ipsam primo invehitur Nationem, quodque in Hispania fecerat, in Africa non prætermittit, nisi quod de hac pejorem in modum malemeretur, Didonis in eam *imprecationes* ejaculans:

Nullus amor populis, genti nec fœdera sunto.
Pugnent ipsique Nepotes;

gravissimeque affectum se dolet mea in Africanis Conciliis exultatione. Sed hæc leviora sunt. Meminisse nos jubet, *quantum lacrymabilem* (Correctoris latini sæpe se commendat diligentia) & *indignam dissentionum segetem Africana plerumque Concilia in Ecclesiam intulere*. Schismatis uno verbo hic

ea

ea postulat. *Quis ignorat, quantum tria illa, magno ceteroqui Præside Cypriano, de Rebaptizantium quæstione Concilia incommodaverint?* Hic hæreseos expostulatio est; nec ipsi Magno parcitur Cypriano. *Quis umquam credidisset, in horum ultimo, quo 85. convenerant Episcopi, pertinacius actum contra veritatem?* Quid quæso gravius contra *Latrocinale Ephesinum dici* potuisset umquam? *Contra ea sudavit, & alsit Augustinus, cum Cypriani objiceretur auctoritas.* Sed Augustini tibi modestia moræ esse debuisset, quin de hisce Synodis, ac de Magno Cypriano ibi præsidente intemperantius obloquereris. Si cum Augustino nec sudare, neque algere libebat, quanto melius tacuisses omnino.

Ad Africanas mox excurrit alias quamplurimas Synodos, *ubi de Appellationibus ad primam Sedem*. Reminisci nos vult *Zosimi, ac Bonifacii, in memoriam revocare fidem Apostolicis Legatis denegatam: tum Niceni Concilii Acta toto Orbe quæsita.* Sunt hæc omnia de medio petita; ipsique in Theologicis rebus tyrones callent apprime, nihil Patres illos de Pontificiæ Cathedræ majestate detractum voluisse, sed Canonum disciplinæ consultum. *Quis Novatorum*, pergit, *contra R. P. primatum pugnaturus ex hoc Africanorum armario Conciliorum* (nihil de Petri Bayle Dictionario contumeliosius scribi fas fuisset) *tela non depromsit? Mitto quot, quibusque modis R. Cathedræ osores jurium, Africana invocent Concilia, pessima exinde consectaria* de-

deducentes. Video, num in hoc armario Sacras ipsas Scripturas reconditurus sit, quando inde contra R. Pontificis primatum Novatores pugnaturi tela promserunt; ac jurium R. Cathedræ osores ipsas perinde in rem suam invocent, pessima exinde consectaria deducentes, Sed ego longissimæ huic, effusissimæque verbositati frigidissime repono; si tam execrabiles, tam perniciosæ, si schismaticæ, si hæreticæ hæ sunt Synodi, cur eas nondum Catholica damnavit Ecclesia? cur earum sententias, placita, Leges in Corpus juris, quo utitur, tam negligenter irrepere demum passa est? Quid? Correctores Romani Summo Pontifici, qui emendationis illis negotium dedit, imposuere?

Sed velit nolit, Carth. IV. Can. 23. mirum in modum urgetur Noster. Nulla evadendi, aut ejus desugiendi suppetit via. Canon sic habet; omnibus in manibus est; in Canonicis Institutionibus prostat; tyrones ipsos minime latet: *ut Episcopus nullius caussam audiat absque præsentia Clericorum suorum. Alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur*. *Forensis agitur materia*, ait Anonymus; *conqueri potuissent excommunicati, se injuste Episcopali potentia oppressos: caussam non bene discussam . . . honestati Episcopali consultum voluere Synodi Patres, illam judiciorum exercendorum instituentes rationem, cui neque improbi ipsi possent adlatrare*. Euge, Noster, rem acu tetigisti: a

me ne hilum quidem, immo ab ipsa veritate abhorres. Quod vero hinc negas *ad alia exinde consecutionem protendi*, id etsi tibi do, statim de Ordinatione alium exhibebo canonem. Sed audire præstat prius, quid in illa verba, *alioquin irrita erit sententia Episcopi* differas. Ad consuetum confugis locum tuum *humanitatis, caritatis, ac bonitatis Episcoporum*. Sed qui demum humanitas, caritas, bonitas Episcoporum cum Synodali lege cohæreat, tuum est docere. Ego potius ad necessitatem disciplinæ Synodale decretum referendum crediderim; neque a me sanæ mentis homines putaverim alienos. *An vero dicimus* (sic enim insurgis) *solitarium Episcopum excommunicandi potestate carere? Scito actum illum Episcopali potestati divinitus acceptæ insitum*. Sed hic non de potestate ipsa sermo est, sed de potestatis usu, quem ab Ecclesia certis illigari conditionibus posse certo certius constat.

Ecce vero promissus de Ordinatione Can. 21. *ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet*. Infirmum esse dicis inde a me petitum argumentum. Ego vereor vicissim, ne infirmissima sit, qua me oppugnas, ratio. Nimirum, inquis, *matriculæ Ecclesiæ tunc omnes Clerici erant adscripti. Quapropter unius, alteriusve receptio poterat jam receptis incommodare. Quod dimensum paucioribus erat numerandum* (vide dictionis elegantiam) *in plures distributum jam prioribus decrescebat*. Ergo non consilium

silium, sed consensus Cleri ad novas Ordinationes desiderabatur. Non poterat Jus Clericis in dimensum quæsitum violari; non poterat id dimensum salva justitia, nisi omnium consensione diminui. At Canon consilium Clericorum in Ordinatione, non consensum exquirit. Infirmum est igitur, quod ex matricula commentus es.

Si porro verum est tritissimum illud, admirationem genuinam esse ignorantiæ filiam, ignarissimus rerum Noster dicendus esset; toties nimirum illum me mirari audio. Sed cur hic demum miratur? Quod nempe *ex his leviculis, & nullius pene momenti concessionibus in Presbyteros collatis maxima velim deducere*. Siccine levia tibi, bone vir, ac nullius momenti videntur, per Synodos vetari Episcopos fine Clericorum præsentia quemvis damnare, neminem, nisi ex Presbyterii consilio Ordinibus posse augere? Sed dic, Sodes, quæ sunt maxima. Tu paucis ante verbis dicebas excommunicandi potestatem Episcopis divinitus traditam: Manus imponendi facultas Episcopali cohæret characteri; quæ certe sunt maxima; nam ea sunt, quibus Presbyteris Episcopi maxime antecellunt. Leve ergo, ac nullius momenti reputabis in his tam magnis Presbyteros juberi a consiliis Episcopis esse, horum consensui tantæ potestatis usum ab Ecclesia esse illigatum? Quid ergo miraris, dixisse me: sunt nimirum Presbyteri Episcoporum Collegæ in ministerio? Si Collegæ

nomen displicet, socios appellabo, sodales; *Comministros*.

Me interim *victoria elatum voce majestatis plenissima exclamare asseris: His ita statutis, cui mirum esse poterit, si Presbyteri Conciliis intersunt, consultant, deliberant, suffragium ferunt, subscribunt*. Si id exclamare sit, videant latine periti. Ego satis habebo, si quæcumque in me tam acerbe carpis, non tibi, sed erudito, sanoque Lectori rationibus, quas huc usque produxi, aperte probaverim. Quod me Piana Bulla commotum hic dicis, mentiris pro more. Cur enim Pontificia illa sanctissima Constitutione perterrerer, in quam minime impegi? Opus non erat palinodiam canere; nec doctissimus, ac pientissimus ille Meus me deterrere necesse habuit, cum me recte ad veritatem Fidei ambulantem evidentissime deprehenderit, deterriturus certe, si aliter me gessissem.

Sed jam ad Chalcedonense Concilium me provocas. Ergo hic dicacite tua resecta, Presbyteros iterum nobis exhibes testium, Theologorum *Consultorum* partes & suscipientes, & substinentes. At ne actum agas, bone vir. Satis id superius refutatum est. Quod subdis: *Audis: Theophilus RR. Presbyter dixit?* At non audis: *Ego Theophilus Presbyter definiens subscripsi*; risum eruditis moves, qui hanc formulam sequioris ævi esse apprime norunt.

At lecta Euthychetis confessione recla-

ma-

matum est universim, *quod ea Nicænæ Fidei vel adderet, vel detraheret*. Doctrinale judicium hoc, dicis, si Presbyteri sic reclamarunt. Etiamne illorum Presbyterorum, quos ex singulari privilegio ad sessiones, & subscriptiones admissos non negabas? *Nondum Fidei decretum habemus: habemus, si judicium, quorum erat (Episcoporum) fuerit vox illa ab ore profecta*. Atqui necdum judicium Fidei habemus, etiamsi vox illa fuerit ab Episcoporum ore profecta. Adhuc enim vox illa errori obnoxia, donec sententia Capitis Ecclesiæ accedente Fidei judicium evadat. *Quod si Episcoporum una cum Presbyteris vox fuit illa*. Quid dicturum sperabas, nisi judicium partim doctrinale, partim Fidei fuisse? Non ita: *hos plaudentes, illos decernentes dicemus*. Næ iste homo, quid sit plaudere, penitus ignorat: ab omnibus reclamatum est; Euthychetis confessio *Nicænæ Fidei vel addit, vel detrahit*. Quis hic plausum in enunciativa propositione, nisi acutus Noster, agnoscit? Adde, quod communiter effertur: *Nicænæ Fidei vel addit, vel detrahit*. Ergo vel plausus ibi communis, vel commune decretum Episcoporum, ac Presbyterorum; quæ vola ibi, quod vestigium fictitiæ hujus distinctionis? *Vox Presbyterorum*, concludit, *vox est Episcoporum, & tunc Presbyterorum verba ligabunt*, si scilicet psittacorum in morem, quæ Episcopi pronuntiarint, ipsi repetant; addit enim, *si per organum istorum*

ab Episcopis derivata transmittantur. Et sic de Presbyteris accipiemus illud Christi: Qui vos audit, me audit. Presbyteri ergo, si te audient, concionaturi, Episcopum prius adibunt, ut quæ pro concione dicturi sunt, prius accipiant; alioquin, qui eos audiunt, Christum non audient. Denique *si Presbyterorum vox, Episcoporum vox sit, si tunc Presbyterorum verba ligabunt*, Presbyteros oportebit, antequam pro sacro Tribunali sedeant, antequam quempiam ligent, oportebit, inquam, ab Episcopis, *quorum organum sunt*, verba mutuari, neminem, nisi fecerint, ligaturi. Quæ somnia! quæ fabulæ! quæ ineptiæ!

In §. XXI.

CASTIGATIO XXIII.

1. *Episcopi ipsi male mulctantur.*
2. *Irriti conatus Anonymi, ut mihi primæ Sedis pro Presbyteris testimonia eripiat.*
3. *Mirificæ Anonymi evagationes; tamen infelicissimæ.*

HActenus Presbyteris tantum iniquior fuerit Noster, in Episcopos effusissimus. Sed ne & ipsi triumpharent, si tecto latere abscessissent, hos etiam depectit, atque, ut Presbyteris fecerat, ad testium, adparitorum, satellitum ordinem redigit. Cum me

nis

nimirum peteret, atque ea oppugnaret, quæ pro mea cauſſa ex Eccleſia principe depromſeram, monumenta, multa præfatus ex more de modeſtia, de Chriſtiana humilitate Rom. Pontificum, de liberalitate, qua multa Presbyteris largiti sunt, infert ſtatim, nullum ex hisce conceſſionibus *Presbyteris jus quæſitum*. Sed dici mihi velim, ſi nullum ex Pontificiis conceſſionibus jus Presbyteris acquiritur, qua demum via jus hoc comparetur? hactenus enim Catholica tenuit Eccleſia, Summum Hierarcham ita poſſe largiri, ac concedere, ut obtinenti jus satis firmum quæratur. Pergit exinde: *& tunc quidem ſingularis Presbyterorum illorum pietas, ac firma adhæſio Pontificiæ Cathedræ talia promerebantur. Cum vero rebus ſequioris ævi vitio prolapſis in deteriora, dominatione invecta, ac ſuperbia graſſante, iniquitatis filii favoribus abuterentur, hinc factum eſt, ut cautius ſibi procedendum Summi Hierarchæ ducerent, & ad omnia removenda pericula . . . poteſtatem ſui characteris luculentiſſime exererent*. Crederes Noſtrum hæc omnia in Presbyteros humaniſſime congerere, nam de Presbyteris ſermo erat. Minime rerum. Ad Epiſcopos excurrit; atque in illos hæc evomit. *Hinc paſſim videmus*, ſtatim subdit, *in ipſis Conciliis Generalibus, ſi Pontifices adeſſent, definitiones, deciſionesque his unice tributas illa formula: Sacro adprobante Concilio*. Habemus ergo hic Epiſcopos in Conciliis, æque ac Presbyteros deciſioni-

 bus

bus plaudentes; sed ubi illud tuum abiit, quod modo Episcopis singulariter tribuebas: *Ego NN. Episcopus definiens subscripsi*? Non id satis est Nostro, inferius multo deprimi Episcopos oportet. *Quid si & hoc ipsum interdum visum est quid nimii, & magni portendere? Etenim novimus in Œcumenico Synodo Lugdunensi Innoc. IV. doctissimo Pontifice non fuisse dictum ADPROBANTE, SED SACRO PRÆSENTE CONCILIO.* Nihil infra dici potest. Ecce Episcopi in Concilis Œcumenicis non alio, nisi testium loco stant. Gratulandum vobis profecto, Presbyteri, est, si eodem ordine per Nostrum cum Episcopis censeamini.

Sed post excursionem ad rem redit Anonymus. Syricius sese objicit primo Jovinianum coacto Presbyterio damnans: *Facto ergo Presbyterio constitit Christianæ legi esse contraria . . . una omnium nostrum tam Presbyterorum, quam Diaconorum, quam etiam totius Cleri suscitata fuit sententia.* Post hæc addo: hanc damnationem, uti par erat, raram habuit Ambrosius. At ille. *Scilicet hoc deerat, ut summæ gratiæ loco adponeretur, Ambrosium probasse SS. Pontificis sententiam.* Satis imperite; nam quis nesciat etiam modo, sententias, constitutionesque suas ad absentes Episcopos summos Pontifices mittere, ut eas ratas habeant, eisque subscribant firmiorem soliditatem habituras, si totius Orbis Catholici consensus Episcoporum accesserit? Usurpatum id ali-

quan-

quando ab Œcumenicis Conciliis, ut ad eos, qui minime adfuerunt, sancita dogmata per Encyclicas mitterent, ut iis fidem, obsequiumque adjicerent suum.

Rem ipsam porro tangit. *An non debuit Syricius Presbyterium cogere?* Minime quidem, si in hoc damnationis negotio nullæ Præsbyterorum partes fuissent. *Alias quomodo impurissimi illius Epicuri deliramenta innotuissent?* Hui! Urbi, & Orbi jampridem innotuerant: contra illum acerrime pugnaverat Hieronymus. *Quomodo deinde insanorum Dogmatum auctorem, judiciumque latum remotiores regiones, ad quas perlatus, vel perferendus erat spurcissimus, & inconditus liber, potuissent agnoscere?* Per Encyclicas certe, quod in more positum erat; neqne enim tabellariorum munus Presbyteris datum erat. *An optabas, Syricium nocte intempesta in cubiculo clancularium prorsus in tanto negotio se gerere?* Atqui per te id ei licuisset, potestas non deerat, Presbyterio non egebat. *Igitur jure Presbyterium coegit, solemne indixit judicium, sententiam tulit cunctis præsentibus.* Si solemnitas desiderabatur, si testium præsentia, nil opus erat Presbyteros cogere, poterat & Laicos convocare, populi multitudinem: in majori numero major certe solemnitas. *Cum satis in illo conventu constitisset. Novatoris Dogmata contraria esse Legi Christi, quid mirum si omnium una fuit sententia?* Quanta, Deus immortalis, veritatis vis est! Post longum

ver.

verborum futilium circuitum, huc demum deveniendum fuit, omnes sententiam tulisse. *Sententia scilicet non judicialis, non vim obligandi inferens* (ergo adhuc Joviniani lis pendet, damnatus adhuc non est); *sed doctrinalis, plaudens, justitiæ testis, & nuncia publici consensus*. Atqui consensus necessarius non erat; neque ex consensu sententia vim intulit obligandi. Doctrina jam extra Synodum satis erat excussa; ad plausum ciendum non necessario Presbyteri erant invitandi; populus ad id negotii peropportunus. *Hoc nisi dixeris, cogeris non solum in Presbyteris, & Diaconibus, sed in minoribus quoque Clericis judicialem, & definitivam illam potestatem agnoscere: quia totius Cleri una suscitatâ fuit sententia*. Ut errat Noster. Non vidit Presbyteros tantum, & Diaconos nominatos, non vero Episcopos, qui aderant, Rom. Pontificis suffraganeos; hos generica illa voce totius Cleri vult comprehensos: revera enim totus Clerus in Episcopis eminenter continetur.

Fortiora mihi arma Felicem PP. mihi suppeditare molestissime fert Anonymus. Is igitur exauctorato Petro Gnaphæo Alex. *firma sit*, inquit, *hæc tua depositio a me, & his, qui una mecum Apostolicum Thronum regunt*. Certe nihil disertius optari potest: decretoria verba sunt, quibus exauctorationis pœna a Pontifice cum Presbyterio simul prolata probetur. Item epist. 7 *Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos summa* nuncupat *fastigia*, Cer-

Certe in angusto est hic Noster, ingemiscit, ac parturit; atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. Confugit primo ad proscriptum a Sede Apostolica librum, *quo asserebatur Petrum, ac Paullum pari auctoritate in Ecclesiæ gubernaculo sedisse, & tunc non unum, sed duos fuisse Ecclesiæ Rectores; nunc, cum videat non solum clavo adsidere unum, sed plures adsidere*, unaque Apostolicum Thronum tenere, *Œdipo* indigere se ait ad nodum, quo adstringitur, dissolvendum. Jocatur Noster; tanta enim est dexteritate, ac sagacitate, ut nodum statim dissolvat: novit quippe non pari auctoritate Pontifices, ac Presbyteros thronum regere Apostolicum. Sed in hoc ipso cavillatur. *Jura enim*, inquit, *hæc summa sunt, inalienabilia. Summa* sane, non æqualia. Neque enim sceptri jura abalienat Princeps, si socios adhibeat regiminis Magnates; neque Imperator, si sub se Duces habeat copiis imperantes. *Quomodo ergo sedentem Throno alteri obnoxium facies?* Eodem pacto, quo se Rex suis Ministris obnoxium facit. Licet aliquid aliud est in Ecclesiastico regimine: non enim Monarchicum est, sed Aristocratia temperatum. Tunc enim non ipse se inferioribus obnoxium facit Princeps, sed Regni Constitutio. *Si duo sedent, jam pari jure gaudent*. Nihil falsius. *Junctis consiliis rem gerent*. Ita sane; sed hoc non est pari jure gaudere, nisi velis Regem, ejusque Ministros pari jure po-

potiri, quod communi consilio res expediant. Sed quid tu hisce ratiunculis conficies, quando Felix rem ipsam diserte docet? Respondendum sibi necessario agnoscit Noster: invenienda est aliqua evadendi via. *Fuerit*, inquit, *is Felicis sensus . . . . tenuitne jure suo Apostolicum Thronum Clerus ille*. Jure quidem, non illo, quod tu comminisceris, Divino, ut possis inde insurgere, unum Universali Ecclesiæ præpositum; sed jure per disciplinam quæsito, quo non potestas divino jure profecta, sed potestatis usus temperatur.

Aggreditur me deinde Noster de duabus Synodis Romæ habitis, altera, qua depositionis pœna animadversum est in Anastasium Card., altera sub Hilaro PP., qua de transferendo Hispano Episcopo actum est. Huic interfuere Presbyteri, quos non præsentia solum, sed & consilio, & suffragio adfuisse certo certius constare affirmavi; eo quod Apostolicum Thronum regere modo laudatus Felix asseruerit. Ad hæc, quod reponeret, nihil solidi habuit Noster præter ea, quæ superius sunt refutata.

Ad Anastasium se totum confert, mihique vertit crimini, quod cum Anastasius dicatur ab omnibus Canonice depositus, mirari me in illo verbo *Canonice* vim sentire dixerim, perinde ac si Canonicum non fuerit, quod non ab omnibus esset decretum. Acriter hic assurgit, *scilicet Leo IV. non poterat solitarius Anastasium deponere*? Poterat

terat ex primigenia insita potestate: non poterat ex potestatis usu Canonice temperato. *Permittat Synodo judicium de Anastasio Pontifex . . . . Anastasius reipsa Canonice ab omnibus deponatur, quis est depositionis auctor, nisi qui Synodo cognoscendi, & sententiam ferendi fecerit potestatem?* Ita sane: sed Auctor non est, nisi Disciplina, nisi jus Canonicum, quo ea facultas Presbyterio facta est. Ea ergo vigente, nonnisi a toto Presbyterio Anastasius erat deponendus.

Fingamus, porro subdit, testibus corruptis, prævaricante accusatore, Anastasium contra jus absolutum; *eratne penes Pontificem iniquam sententiam sententia nova, & æqua elidere?* Ego vero pernego; neque injuria; quis enimvero ignoret, Judices ex allegatis, & probatis sententiam ferre oportere privata rejecta scientia? Id Nostro minime condonandum censeo, qui Ethices peritissimus habetur.

Multa deinde tumultuarie, miraque prolixitate producit, ut in immensa verbositate expiscari necesse sit, si quid aliquam mereatur confutationem. Rex, addit, Magistratibus judicium permittit, jurisdictionem demandat, ut morti sontes addicant: *sed dicimus: Rex sontem morti addicit.* Utrumque verum est, & Judices, & Rex addicunt morti reos: hic insita, illi demandata potestate. Verum in re Ecclesiastica contra se habet. Episcopi spiritualem gladium portant

tant in reos animadverſuri: hic vero gladius Eccleſiaſtica lege jubente diſtringendus non erat, niſi ab Epiſcopo cum Presbyterio judicante.

Evagatur mox ad hæreſeon damnationem. *Multæ*, inquit, *primis tribus Eccleſiæ Sæculis hæreſes damnatæ ſunt nullis habitis Synodis (neque enim ſævientibus Eccleſiæ tyrannis ullus Prælatorum conventibus locus); dicendum omnino videtur Presbyterorum opera errorum illa monſtra exterminata, a Presbyteris Fidei regulas conditas, atque judiciariam poteſtatem in hæreticos exercitam*. O capitulum lepidiſſimum! Ergone omnes tum Epiſcopos tyranni ſuſtulerant? Si hi superſtites adhuc, communi opera hæc omnia expedita sunt. *Iiſdemque Romanos Pontifices, atque Epiſcopos in hæreticorum condemnatione Miniſtris, & ſociis uſos*. Ita plane. *Agnoſcentes eos virtute Presbyteralis gradus tanta poteſtate poſſe pollere*. Etſi hæc omnia ego ad diſciplinam, ad Canones id imperantes retuli; ſi vis tamen a Presbyterali gradu tantam poteſtatem arceſſere, id tibi aſſentior, modo id eo accipias ſensu, quod vi Ordinis Episcopis Presbyteri adjuncti ſint divinitus adjutores secundi ordinis populus Dei regendis, quæ ipſiſſima sunt Pontificis eos initiantis verba.

Quis porro tantæ sagacitatis vir ſit, ut caput inveniat in confuſiſſima multarum rerum farragine, quibus duas infercit paginas Noſter? *Conqueritur primo ſæpenumero Presby-*

sbyterorum , immo & Episcoporum ipsorum frequentissimos Conventus fas omne abrupisse, & impie pronunciasse . Memorat Athanasii depositionem, Nicenæ Fidei abolitionem, Ecclesiæ Doctores præclarissimos in exilium ejectos . Memorat latrocinium Ephesinum . Ipsis Sanctissimis Ecclesiæ Prælatis, iisque in unum Congregatis sæpius non affulsisse lumen veritatis , ac tamquam vertigine circumactos de gradu sanæ mentis excidisse, atque errasse in via veluti multo vino depositos . Testis Cyprianus cum tribus illis Africanis Conciliis . Etsi nimis urbana non sunt , quæ affert, gaudendum Presbyteris est, quod communi cum Episcopis caussa utantur.

Ecclesiæ igitur *in nomine suo congregatæ* ασφαλτιαν *Christus promisit , ipsamque Ecclesiam Fidei centrum in Rom. Cathedra semper agnoscendam Patres testantur*. Etsi Rom. Cathedram impensissime colo, ac veneror , imponit Noster Patribus. Numquam quippe docuerunt *Ecclesiam esse in Rom. Cathedra*. Nam si Rom. Cathedra Ecclesia esset , nullæ aliæ præter Romanam agnoscendæ forent Ecclesiæ. Falsum perinde , quod Patres docuerint Rom. Cathedram *Fidei centrum* ; unitatis centrum dixere, non Fidei : alias hæreticis essent accensendi, quicumque ασφαλτιαν Romana Cathedra abjudicant . *Ad hanc omnes alias convenire Ecclesias , scilicet, ut verum inveniant*, dixit Irenæus; *Ut verum inveniant* , additio tua est. Ad hanc (Rom. Cathedram) propter potentiorem

prin-

principalitatem omnem oportet convenire Ecclesiam. Sic Irenæus: *Hinc vetusto Canone statutum est, ait Socrates, nullum sine consensu Rom. Pontificis Concilium posse haberi*. Falsus est omnino Socrates; neque hic Canon extitit umquam, si de Provincialibus Synodis sermo sit; & ea inconsulto Rom. Pontifice haberi in more jamdiu positum fuit, donec in hoc Disciplinæ Capite innovatum est.

Hæc propterea, concludit, *paullo fusius disputavimus, ut desineret tandem Noster Sessiones, & subscriptiones illas Presbyterorum jactare*. Ego vero desino; sed desinat etiam Anonymus Episcoporum sessiones, & subscriptiones vicissim venditare. Uno ordine utrique habendi sunt, quando possunt æque omnes ad unum errare. Si per ipsum sedendi, subscribendique jus ab ασφαλτια pendeat. *Precarias illas, & a Delegatione profectas agnoscat, cum nullum iis in Fidei caussis judicium*. Agnosco, ut vult, morem gero; sed hæc omnia Episcopis precario & ipse convenire agnoscat: (neque enim id defugere potest) quando Episcopis sola adprobatione, sola præsentia Conciliis etiam Œcumenicis interesse datum esse dixit: SACRO ADPROBANTE CONCILIO, SACRO PRÆSENTE CONCILIO.

Sed hactenus operam lusimus, ac frustra calamum contrivimus. Ipse enim *ineptissime ab infallibilitate asserit jus judicandi, ac statuendi arcessiri. Quorsum ergo tam longe* pe-

petita? Ut me, lectoremque meum defatiget. Ergo confice, meque exscribendo, illumque legendo eneca. *Ineptissime*, pergit, *dicetur eum solum posse judicare, qui nequeat errare*. Teneo. Quid ergo illud est, quod subdis? *Sed dicimus, quam fiduciam in illis sedentibus, & subscribentibus Presbyteris collocare potuissent Summi Pontifices?* Nonne tu ajebas modo, *ineptissime dici eum solum posse judicare, qui nequeat errare?* Quam fiduciam in Episcopis sedentibus, & subscribentibus collocare potuissent Summi Pontifices, quandoquidem ipsi sunt Episcopi errando obnoxii? Aliunde ergo judiciaria potestas, quam ab infallibilitate arcessenda est.

Sed unde? A Nostro accipiamus. *A jurisdictione, a Divino Mandato, ab Episcopali charactere prærogativam illam judicandi, ac statuendi diximus proficisci*. A jurisdictione. Sed jurisdictionis incapaces sunt Presbyteri? Quis id afferat? A Divino Mandato. Quale hoc est amabo? Nimirum illud *Pasce*. Sed pastionem Presbyteris convenire tu ipse inferius docturus es. Ab Episcopali charactere. Episcopus ergo depositus ipse etiam judicabit? Vide, quo tibi confugiendum sit; nam hac via ulterius progredi non datur. At ego tibi viam commonstrabo. Ab omnium sæculorum traditione, qua jus hoc decernendi, ac definiendi Episcopis veluti nativum asseritur, ac divinitus datum.

At nondum evasimus. Novæ lites ob Cleri Rom. vigorem, quo Eugenio Rom. PP. restitit, veritus, ne Petro Patriarchæ Constantinopolitano communicaret. Ego rem gestam enarrans adjeci: *Videbis in hocce Presbyterio Paullum quodammodo in Cephæ faciem resistentem*. Quid hic reprehendit Noster? *Verum Anastasius edicit* (sunt ejus verba): *& accensus Populus, & Clerus. Ecce in popello jam nobis Paullum exhibuit, & resistentem*. Placet Nostro Popelli appellatio, quam millies mihi objecit. Sed quid hic castigatione dignum? Clerus æque, ac popellus Pontifici erant obnoxii; uterque reverentia, officio, obsequio eum prosequi par erat. Cum porro periculum esset, ne Pontifex labasceret, atque ab officio deflecteret, uterque ei pro suo in Catholicam fidem studio, atque ardore, debita cum modestia, restiterunt. *Sed imbecillitatem facti* mihi denique opponit, si ad rem meam illud detorqueam. Non ita est, Excursor amicissime. Ex facto quippe cuivis sanæ mentis colligendum reliqui animarum curam, populi salutem, Orthodoxæ fidei stabilitatem toti Presbyterio communem fuisse. Cum vero secundi Ordinis Sacerdotes metuerent, ne quid in hac parte Ecclesiæ Caput deficeret, periculum Popello indicasse pro suo erga eum officio; conjunctisque viribus Pontificem obsedisse, atque impetrasse, ut impii Monothelitæ Antistitis

epi-

epistolam penitus rejiceret, atque improbaret. Simile quid Presbyterio Antiocheno, ac Constantinopolitano contigisse superius ostendi.

In §. XXII.

CASTIGATIO XXIV.

Turonense, ac Parisiense Concilia ab Anonymo male habita. In Toletano nihil proficit.

QUis credidisset, Nostrum, cui laus est in excurrendo, dimidio nondum emenso curriculo, delassatum. Tædet enim in his amplius immorari, meque errantem persequi per Synodos Gallicanas, Hispanicasque. Subirascitur mihi mox, quod cum præfatus essem, velle me veluti coronidis loco nonnulla ex Ecclesia Principe monumenta producere, ac spem fecissem scena illa acta fabulæ finem impositum iri, nunc porro, quasi nihil hactenus dictum esset, ab integro exordiri. Sed mitte, quæso, hanc noxiam, si aliam umquam admisero ullam, occidito. Ego ceteroqui exemplo tuo id feci; mihique æque ac tibi licere credidi *ad saturam* aliquid addere, ne criminaveris unius, aut alterius Synodi decretis tam momentosam rem velle conficere. Opus igitur fuit totius Christiani Orbis, omnisque ætatis Synodos

conquirere, atque in meam caussam advocare. Ergo, qua uti soles benignitate, per Gallias me, Hispaniasque prosequere.

In Turonense Concilium, quo arctis sane limitibus Episcopi circumscribitur potestas, cum nihil huic sine Presbyterio moliri permittatur; ac si quid minus recte gestum fuerit, communi Presbyterorum sententia rescindi, sic invehitur Noster: *O praeclarum Concilium, quod plura, ac majora optatis affert! Ejuret Noster, quae hactenus est professus, nec Presbyteralem potestatem Episcopali potestati faciat amplius obnoxiam. At non est manifestissimum subjectionis argumentum, si quae geruntur, alieni ex nutu arbitrii firmitatem nanciscantur? Hoc non essent ausi ipsi Presbyteriani: nam de aequalitate cum Episcopis hi contendebant; sed numquam se illis majores dixerant.* Gravissima accusatio (immo insaniam contumeliosissime appellat Anonymus); sed quae Patrum hujusce Concilii cervicibus imminet: ipsam a se repellere studiose satagant, ne forte cum Presbyterianis eodem percellantur anathemate: ego interim Lucretiano illo me consolabor:

Suave mari magno turbantibus aequora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem.

Quod si tanto eluendo crimini reponere pro hisce Patribus fas mihi sit aliquid, illos dicerem non cum Presbyterianis (qui nondum tunc temporis exorti fuerant) stetisse, sed de Episcoporum supra Presbyteros eminentia certos, veritos alioquin, ne ea pote-

te-

testate abuterentur, Presbyterorum suorum consensu illigatam, ac circumseptam voluisse. Non ego igitur perfidum quid dixi, cum asserui: nonne vides hic aggeribus quibusdam Episcopale arbitrium circumsepiri, ne pro ingenio suo sive jure, sive injuria, quo libuerit, multorum cum offensione, ac detrimento excurrat.

Operam abuti suam credit Noster, si de Synodo Parisiensi IV. verba faciat, *cui interfuit unus Presbyter suffragium ferens*. *Unus Presbyter*? Non putaram hic multitudine esse dimicandum. Ceterum si plures exposcit Presbyteros suffragium ferentes, non desunt Synodi innumeræ, ubi Presbyteri hoc munere perfuncti leguntur. *Fortasse ex privilegio, vel ut testis*. Sed unus testis, nullus testis. Inutile igitur hoc testimonium. Ex privilegio, recte quidem, sed per Canones accepto. Superfluum item reputat de Synodo S. Aunucharii disputare, *cum pateat illam Diœcesanam fuisse*. Diocœsanas ergo Synodorum numero expungamus, vel illis condendi leges abjudicemus potestatem. Presbyteris judicantibus Episcoporum ipsorum negotia definita reperiuntur. Hoc meum est. Quid ille? Vox ipsa *composita*, *vox judicantium, sed amice arbitrantium est*. Bene sane. Sed arbitrium judicii etiam quoddam genus est. Quod si verum judicium desiderat a Presbyteris inter Episcopos prolatum, adeat Turonensis Con. Can. 2. de quo superius mentionem injecimus.

 Ad

Ad Veronense Concilium ad Synodum jussens una cum Episcopis Abbates, ac Prebbyteros convenire, tale præceptum non miratur Noster, paratus quippe est solitam occentare cantilenam; nimirum opus hisce viris fuisse *ad disputandum, ad facta contestanda, maxime cum Synodi haberentur ad discutiendas excommunicationes latas*. Sed hæc latius sæpe refutata sunt, ac mox ipsiusmet Anonymi confessione refellentur.

Occasione scilicet Toletani IV. *quo mirifice se ab impetitis absolvi reputat*. Dum enim statuit, *ut vocentur Presbyteri, quos caussa probaverit introire, jam perspicuum esse ait, selectis tantum Presbyteris ad Synodum accessum patuisse. Si enim omnibus Presbyteris eo confluere fuisset potestas, quo jure ad hanc constitutionem fuisset deventum?* Eo scilicet, quod, ut sapientissime monuit Gersonius, *Concilium possit certis de caussis, & ad tempus constituere voces definitivas in pluribus, vel paucioribus*. Sed est, quod expromtam memoriam tuam hic ego desiderem. *Ego pro comperto habeo* (tua ipsius verba recito pag. 239.) *Capitula illa, quæ ad Synodos vocata commemorantur, animarum curam adnexam habuisse, nec aliam, dum neglecta sunt, querelæ justam proferre potuisse rationem, nisi hanc, nempe, quod Pastores, Rectoresque populorum (quod nefas esset) excluderentur*. Quæ non eo consilio produxi, ut integra rata haberem; sed ut agnosceres, tibi non displicuisse, im-

mo

mo nefas duxisse; si Pastores saltem, Rectoresque animarum Synodo excluderentur. Non diffiteris ergo hisce quæsitum jus, ut Synodo intersint, non certe ut testes, sed uti Judices; nam jurisdictione (unde judicandi facultatem superius repetebas) ac regimine potiuntur.

Ad Presbyterii commendationem supremo loco posui, quod Episcopo e vivis sublato, vel absente in ejus partes, ac munera nativo quodam jure succedat. Primum non abnuit Anonymus. Ait enim: *Quis dixerit Prælato moriente Ecclesiam mori? Vivit illa in suis Presbyteris, qui demortui in partes, & munera strenue veniunt*. De altero non convenit mecum; ac Cypriani verba, quibus ego usus sum: *officium meum vestra diligentia præsentet . . . vos vice mea fungamini*, ad delegationem detorquet; quod facit quoque in Hilarii loco, quem ego protuli. Sed quod superius ex epistola Cleri Romani ad Chartag. Presbyterium produxi, hortantis illud, ut in Cypriani secessione (quam non satis æque interpretatus erat) Episcopi partes, ac munera arriperet sollicite, nulli prorsus delegationi locum relinquit: si enim secedens Cyprianus vices suas Clero commisisset, nulla profecto hortatione opus fuisset aliena, ut statim hi Presbyteri ad clavum regendum accederent. Persuasum igitur erat Rom. Clero, si uspiam Episcopus abesset, citra ullam delegationem, continuo in Presbyterium Ecclesiæ regimen recidere.

 Ex-

Excurſionem denique in hanc primam partem ita concludit Noſter, *ut uberrimam ex meo libro conſolationem ſe fuiſſe capturum dicat*, niſi quæ Parochorum propria ſunt, ad Canonicos animarum cura ſpoliatos deflexiſſem. Hoc poſtremum modo non ago. Illud tantum ei in memoriam redigo, quod Operis ſui initio poſuit: *quam gratiam, quam utilitatem ex hoc labore eſt collecturus*: *Profecto occentares illud*: *Cui bono hoc opus*? Vin ſcire? ut amiciſſimum hominem, ſi non omnino, aliqua tamen ex parte *conſolarer*, quod maximæ ego voluptati mihi duco.

In §. I.

Partis alterius, ubi Jura Presbyterii in Canonicorum Collegia transfusa docentur.

CASTIGATIO I.

1. *Præmittitur vera Presbyterii nota.*
2. *Pastoralis Curæ distinctio.*
3. *Falsitatis arguitur nova, quam comminiscitur Noster, Canonicorum institutio.*
4. *Nulla inducta est nova politia, Naturali, Divino, ac Canonico Juri repugnans.*
5. *Castigationes aliquot in Parochorum, quam adtexit, laudatione: ibique contradictio Anonymi notatur.*

NIhil gravius, nihil acerbius, molestiusque contingere potest Anonymo, quam quod ego veteris Presbyterii jura in Canonicorum Collegia cum Canonistis omnibus transfusa esse obtendam. Et sane dejerare mihi licet, numquam futurum, ut ad scribendum animum appelleret, nisi hoc ulcus tetigissem. Huc ergo omnes industriæ nervos convertit, id laborat, id enititur, hoc agere unum vere dici potest, ut hodiernos Canonicos Presbyterio exturbet, Parochosque illuc intrudat. Ut ergo statim in ipsa arce, ubi tuto se consistere credit, eum adoriar, ac

ac palmarium, quo utitur, quoque imperitis offucias facere fortasse potest, argumentum extorqueam, utque uno impetu, quæ sæpius obgannit, & ad ravim usque declamat, penitus diruam; hic in vestibulo nonnulla statuenda duxi, quæ æquis rerum æstimatoribus non iri improbatum spero. Episcopale ergo regimen, in duplici genere esse video. Alterum *ministeriale*, *eminens* alterum appellabo. Ad primum, quod gerentis personam requirit, Sacramentorum administrationem, Divini Verbi præconium, admonitiones, exhortationes, correptiones revoco. Ad alterum legislationem, præmiorum elargitionem, pœnarum irrogationem, ac genericam quamdam inspectionem Episcoporum nomini respondentem, uti a subditis sibi Ministris recte omnia, ordinateque expediantur, referendum censeo. Regimen utrumque initio ab ipso Episcopo Presbyteris adjutoribus gerebatur. Operam illi suam commodabant Presbyteri & in ministeriali, & in eminenti regimine. Temporis processu negotiorum turba succrescente coacti sunt Episcopi in Presbyteros ministerialem pene omnem curam rejicere, atque eminens exterius regimen tenere. Presbyteri interim eo temporis articulo duplex onus subiere; & ministerium exhibebant, & Episcopo, quicum corpus unum conflabant, opera, consiliisqua in exteriori regimine præsto erant. Stetit hæc disciplina ad postrema fere hæc sæcula: tunc demum & Presbyteri ipsi Cathedrales,

quos

quos Episcopi Clerum, ac Presbyterium vere dixeris, animarum curam & ipsi abjecere, ut Episcopo in peculiari illa eminentiore cura adessent. Hinc necessario factum est, ut aliis extra Presbyterium, sive in Urbibus, sive in pagis, procurationis animarum ministerium commissum fuerit. Simile quiddam observare est in eo, quod passim Canonistæ de Parochis primitivis, quos vocant, unanimes tradunt, qui in alios ministerialem curam rejecere. Atqui hi sunt Parochi sive Urbani, sive Rurales, quos unum cum Episcopo corpus efficere nemo sanus affirmaverit. Nam si neque inter se ipsi corpus constituunt, quomodo unum quid cum Episcopo conficient? His positis evidenter consequitur, ad veram Presbyterii notionem ministerialem curam non pertinere: potest quippe aliquis in Presbyterio locum occupare, etsi animarum curæ expers ministerialis sit, & hanc exercere, quin tamen e Presbyterio sit: uti in Parochis Ruralibus luculentissimum est, quos animarum cura numquam Presbyterio accensebit. Verissima ergo Presbyterii illa notio est, ut unum cum Episcopo corpus efficiant, quod in Cathedrali Clero obtinere potest, in aliis numquam. Quod porro in Ecclesiæ politia hactenus observavimus, a civili minime abhorret. In Principe quippe utrumque regimen cernere est, & Ministeriale, & Eminens. Potest ipse per se cognoscere, per se judicare, per se absolvere, aut condemnare. Ea

mi-

ministerium, quod voco. Et iterum Leges condit, fœdera init, bellum indicit, Judicibus a se constitutis imminet. En eminens illa Regni cura. In utroque Ministros habet Adjutores: Judices, Consiliarios, bellicos Duces, Copiarum Præfectos; hi in ministerio. Alios itidem habet Ministros a secretis, a sanctioribus Consiliis, quibuscum eminentissimam illam provinciam partitur. Hi etsi neque in jure dicendo, neque sententiis ferendis occupantur, neque ad prælia procedunt; cum tamen in delicatioribus negotiis, in generica totius Reip. procuratione illi operam navent, majoris habentur, unumque, si verbum istud huc transferendum est, cum Principe corpus conflant.

Hæc cum ita sese habeant, nihil refert omnino, si in hujus secundæ partis exordio dixerim, Presbyteros Parochorum partes ad unum explesse, sive in eadem cum Episcopo Ecclesia, sive in diversis Parœciis, ubi essent illæ a Cathedrali divulsæ. Hæc ego, non ut Parochos hodiernos Presbyterio accenserem, edisserui, sed ut temporis illius, quo de agebam, disciplinam edocerem, cum Presbyterium in ministeriali regimine Episcopo suppetias ferret; quod tamen ad Presbyterii notionem minime necessarium esse paullo ante demonstravi. Pessime ergo Canonicos hodiernos Presbyterio arcet Noster, quod ministeriali animarum curæ nuntium miserint, cum eminens minime potuerint abdicare: alioquin Episcopos ipsos Presbyte-

rio

rio oportebat expungere, cum hanc jampridem ministerialem abjecerint curam. Inscitissime recentiorum Canonicorum autumat institutionem; quod ut probabile faceret, institutionis tempus debuisset certo edicere. Atqui neque potuit, neque poterit umquam; sunt quippe Canonici veteris Presbyterii successores legitimi, ut ex Thomassino evicimus. Omnium vero insipidissime Canonicos Capuccinis, Recollectis, Dominicanis confert, *quos suspicimus*, ait, *arctiori vinculo, quam Canonicos nostros divinæ Psalmodiæ illigatos*. Atqui hos Mendicantes Ordines non Psalmodiæ solum, sed præcipue ad animarum curam, ubi fuerint evocati, novimus esse institutos. Si cerebro indulgere suo certum erat, Carthusianis, Camaldulensibus, aliisque id genus Canonicos collatos oportebat. Sed risus movisset Noster. Si denique, quæ superius explicata sunt, animadvertisset, velletque inscitiæ notam devitare, temperasset profecto ab illusoria sua interrogatione illa: *Dic, qualis erat illa conjunctio* (Canonicorum cum Episcopo)? *Num convivii, num currus, num matutinæ, vel serotinæ deambulationis*? Satis enim superque responsum est ei, conjunctionem esse ejusmodi, quæ membra cum Episcopo Capite compaginet, quæ conjunctis studiis amborum totius Diœceseos *universalem* sollicitudinem gerat.

Sed ad hæc totus cohorrescit Anonymus. *Paradoxa*, clamat, *multa audivi: at hoc nullum*

lum neque audacius, neque impudentius. Exhorrescat atramentum, ac pudore charta suffundatur, dum hæc exscribo. Bona verba, quæso. Quid tu? num aliqua tibi horrenda exscribenda est blasphemia? Atqui si talis est, piaculi certe Thomassinus reus est, ex quo ego ipse exscripsi. Sed nihil me contra adversarii furorem tantum me nomen tuetur. *Desideramus hic*, plena auctoritatis voce subdit, *solitam Thomassini prudentiam*. Ergo (instat se judicio Thomassinus) *dicat Thomassinus hæc tam magna, & splendida; quibus tamen testimoniis confirmantur*? Væ sane Thomassino, nisi continuo idoneos proferat testes. Misertum est inverecundiæ! Quantus homuncio quanto cum congreditur Viro! Quibus tamen armis, videamus. *Inducitur nova politia Juri Naturali, Divino, & Ecclesiastico repugnans*. Proh male factum! quod etiam Civile jus eamdem novam politiam non improbaverit.

Ain vero tu? Naturali juri nova, quam vocas, adversatur Politia? Cur autem? *Enimvero Parochum, ut suum Parentem, Canonicus venerari debet, quippe abs quo Baptismum recepit, quique ipsum in Christo parturiit*. Egregie, scite, præclare, nihil supra. Ergo Episcopus, immo & Summus ipse totius Ecclesiæ Hierarcha Parocho subditur suo, a quo Baptismate lotus est; quippe qui illum utpote parentem debeat venerari. O lepidissimam illationem! Quis nesciat Pontificem, Episcopum, Canonicum, Parochum

ipsum

ipsum duplicem exhibere personam, publicam, ac privatam; hac, non illa ratione subjectionis officiosæ Parocho, ut parenti, reverentiam debere? Hoccine tu ficulneo argumento Thomassinum oppugnas?

Pone, addit, *decimas Parochis, ut Ecclesia præcipit, persolvendas*. Pono, ut lubet? Quid? *non solves tu Canonice? Et tamen ex hoc capite majorem Melchisedeciani Sacerdotii supra Aaronicum præstantiam, & dignitatem Apostolus arcessit*. Quid porro inde consequitur, Magister optime? Sacerdotium, quo aucti sunt Canonici, longe inferioris esse ordinis ab illo, quod Parochis collatum est. Quod si æquale omnino, non ergo jure naturali decimas Parochis præberent Canonici, sed ad summum Ecclesiastico, si quod est. Ceterum obligatio ejusmodi Canonicum ut privatam personam, non ut Capituli membrum afficeret.

Si hinc evasisti, Nostrum audire videor, non effugies certe, ubi Divinum jus attigero. Armis tuis te petam. *Nonne pluribus supra contra Bellarminum demonstrare conatus es, Presbyteros, & magis Parochos 72. Discipulorum esse successores? Ergo Parochi divina se missione tuentur. Possunt ne, amabo te, de hoc Canonici, quod tales sint, gloriari?* Possunt, ac jure possunt. Parochi nempe Discipulis succedunt ratione characteris, non jurisdictionis, quæ tota quanta est, qua parte subditos respicit, ab Ecclesia pendet. Character porro nulla in re dissimilis

est

est sive Canonicorum, sive Parochorum. Et initio quidem Presbyteri omnes, etiam quos postera ætas Parochos appellavit, delegata pollebant auctoritate, donec in ordinariam disciplina immutata evaserit. Parochi ergo, æque ac Canonici Discipulis successisse dicendi sunt.

Quam frigidum denique, quod ab Ecclesiastico jure arcessit! *Quod nempe Sacramentorum, quæ omnibus communia sunt, ministrationem, veluti Parochorum provinciam, iis demandavit*. Dictum jam superius est, si ministerialem curam Parochis commisit Ecclesia, eminentem Canonicis una cum Episcopo imperasse. Quod si ex ministeriali cura gradus præstantiam metiri velimus, & ex Sacramentorum omnibus communium ministratione, immane quantum de Episcopali dignitate detrahetur; Episcopi quippe in Parochos jamdudum ministerium hoc conjecere. Nulli ergo juri, nisi si quid aliud ex cerebro comminiscaris, non mea, sed Thomassini adversatur assertio, quam absurdam nonnisi tu absurdissime pronuncias.

Canonicis hactenus proculcatis, Parochorum dignitatem *tribus verbis*, idest tribus paginis integris, explicare occipit Noster. Utatur ergo jure suo; neque enim id moror; immo pergratum est honestissimum hunc Ecclesiasticorum cœtum debitis illum laudibus prosequi. Atque utinam hoc solo contentus fuisset, atque hanc solam provinciam procurasset (quod ego feci meis contentus,

nulli

nulli injurius), nullæ inter nos omnino concertationes fuissent. Sed quoniam in ea, quæ congerit, animadvertenda, ac castiganda sunt nonnulla, pro Parochis perorantem affectemur. Inde porro encomium exorditur Anonymus, quod Theodulphus Aurelianensis Episcopus Discipulis 70. Parochos fuisse suffectos asserit; quod idem constantissime propugnarint Parisienses Theologi, qui in Ordine *Prælatorum Minorum* stare Parochos, & ab ipso immediate Christo eos obtinere potestatem functiones Hierarchicas exercendi asseverent. Doctrinæ hujus fundamenta Gersonium ab ipsis divinis, Evangelicisque litteris arcessere, & aliquorum Patrum calculo vocantium eos Apostolos. Unde Origenes: *Septuaginta & ipsi Apostoli nominati sunt*. Et Chrysost. *Erant & alii Apostoli, ut septuaginta*.

Non singularem Gersonis sententiam esse, vel paucis ejusdem Universitatis DD. probatam, sed fuisse sententiam Theologorum Sodalitii omnium toto Orbe celeberrimi (meminerit Lector hos ipsos Theologos pessime a Nostro initio Operis acceptos) statum, & auctoritatem Parochorum jure fulciri divino, eorum jurisdictionem immediate a Christo dimanare, qui tam immediata missione, quam electione sua Discipulos 70. decoravit, missosque participes voluit divinæ suæ jurisdictionis. Belle omnia. Non poterit tamen inficiari hæc Parochis convenire ratione characteris, ex quo habent,

bent, ut institutionem divinam appellent; nam jurisdictionem, completam saltem, ac perfectam non a Christo αμεσως, sed ab Ecclesia mutuantur. Character porro in Presbyteris omnibus æqualis est, & ex charactere inchoatæ, & incompletæ aliquid jurisdictionis descendens, ubi latius in Appendice edisserui. Apposite Egregius Canonista, amicissimusque Episcopus Æmilius Gentilis in elegantissima Dissertatione sua Italica, quæ brevi typis excusa vulgabitur: *Non v' ha dubbio, che essendo essi i Parrochi, come i Preti Successori de' Discepoli, sono d' istituzione divina: ma come Parrochi nella Disciplina posteriore colla facoltà Ordinaria, dopo istituite le Decanie, Arcipreture, e Parrocchie rurali, e della Città, son di dritto umano, e non divino.*

Antequam vero hinc discedo, nolo intactam Nostri contradictionem pulcherrimam relinquere. Ait primo, *perspicue demonstrari non posse, administrationem Sacramentorum, & Clavium potestatem Discipulis a Christo immediate traditam fuisse. Evidentissime Textus Evangelicus edocet non esse delegatam a Christo ipso potestatem clavium, nisi Petro, & Apostolis. Ab his vero & missos, & necessariis mandatis instructos postea fuisse Discipulos.* Addit mox Aureolum post D. Thomam III. Part. Quæs. 67. docere, secundi Ordinis Principes Ecclesiæ suffectos 72. illis Discipulis, *quos Christus eadem, qua Apostolos & missione, & jurisdictione illu-*

illustravit. Hæc qui cohæreant, præter ipsum, qui intelligat, neminem arbitror futurum.

Qui sequitur porro, integer mihi §. exscribendus est, ut quantum memoria Nostrum jam ad senectutem vergentem defecerit, innotescat. Apertissima ergo Augustini protuleram verba, quibus Presbyteris excommunicandi facultas asserebatur. Is de Augustino mihi litem intentans ita detonuerat: *vocat testem M. Augustinum, quem tamen sic accipiendum, nemo unus erit (opinor) quin existimet. Fuit ne aliquando hæc in Presbyteris propria, non delegata potestas? Nemo unus, bone*. Quid si tu ipse? *Quid si Augustino* (verba ejus sunt) *& Hieronymo testibus* (non unum jam, sed duo habemus) *poterant Parochi* (Presbyteri pro temporis disciplina) *Fideles excommunicatione multare? Dubitas? Ecce verba Hieronymi: Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*. Ergo ex Hieronymo licet Presbytero tradere Satanæ: cur non vero toti Presbyterio? Atqui recordabitur Lector, quid perstrepuerit Anonymus, quid declamarit, cum id egisse Corinthiacum Presbyterium alio loco edocui. Et Augustinus epist. 295. *meminit Presbyteri, qui Diaconum, & Subdiaconum excommunicaverat; quibus relatis subdit Thomassinus: Parochus sine* dubio *fuit, qui ea severitate usus est. Hæc ille, & sapienter* (gratulor tibi Thomassine, quod in gratiam jam cum

municata est a Christo, aut Conciliis etiam communicata est, aut Concilia Ecclesiam non repræsentant. Quid, quæso, lepidius Nostro?

Parochorum laudationes concludit denique Canonicorum, ac Canonicalium indumentorum irrisione; quod neglectu, non confutatione indigere sanæ mentis homines non denegabunt.

In §. II.

CASTIGATIO II.

Hodierni Canonici, non Parochi, veteri Presbyterio succedunt. Vitilitigationes Anonymi. Ejus mendacia, & in Canonicos maledicta.

A Recta jam aberrantem via statim me revocat Monitor, ac Magister meus. Nam cum dixissem, in Canonicos de novo procusos (tales appellaveram Presbyteros Cathedrales, quos præ cetero Clero ad vitæ societatem, ac convictum socios adhibuerant Episcopi) veteris Presbyterii jura omnia esse translata; cumque id ibi Thomassino vade Part. 1. Lib. 3. cap. 9. asseruissem, qui hæc ita depicta Canonicorum Collegia, sive Capitula ajebat illum ipsum vetustissimum Clerum censendum esse non repræsentare modo, sed esse Episcopi Senatum,

tum, & Concilium; & me, & Thomassinum objurgat his verbis: *Perbelle, Juste, ratione scilicet volente, æquitate suadente Canonici de novo procusi veniunt in jura veterum Presbyterorum.* Sed accepisti jam quo sensu dixerim hosce Canonicos de novo procusos: nimirum cum antea Civitatis Presbyteri omnes Cathedralem conflarent Clerum, numero excrescente, nonnisi selectiores ibi Episcopos aggregasse, ceteros in Parœciales Ecclesias migrasse sub Parochis Ecclesiæ ministerio mancipatas; Parochos ipsos a Cathedrali, & Episcopi convictu sejunctos singulares in Ecclesiis suis egisse. Tenes ergo quid veteribus acciderit, quin *exauctoratos* illos a Thomassino dicere necesse sit. Præsertim cum nullo intervallo ad ea tempora me perduxeris, quibus aucto Ministrorum numero Cathedrales reditus Clericorum multitudini alendæ pares non essent: quod tum demum factum est, cum Beneficia seorsum ab Ordinatione conferri cœperunt. Rem totam ego paucis complexus sum. Post Sæculum XII. Beneficia ab Ordine distrahi cœpta; item pessimo omine in Ecclesiam inducta distinctio Beneficiorum, ut alia curæ forent obnoxia, alia ab hujusmodi onere libera. Factum est hinc, ut Ecclesiastici cœtus homines in ea potissimum oculos, animosque intenderent Beneficia, quæ simplicia appellant, otii, turpisque desidiæ fomenta. Inter simplicia porro Beneficia Canonicatus numerare neque mihi in men-

lum neque audacius, neque impudentius. Exhorrescat atramentum, ac pudore charta suffundatur, dum hæc exscribo. Bona verba, quæso. Quid tu? num aliqua tibi horrenda exscribenda est blasphemia? Atqui si talis est, piaculi certe Thomassinus reus est, ex quo ego ipse exscripsi. Sed nihil me contra adversarii furorem tantum me nomen tuetur. *Desideramus hic*, plena auctoritatis voce subdit, *solitam Thomassini prudentiam*. Ergo (sistat se judicio Thomassinus) *dicat Thomassinus hæc tam magna, & splendida; quibus tamen testimoniis confirmantur*? Væ sane Thomassino, nisi continuo idoneos proferat testes. Misertum est inverecundiæ! Quantus homuncio quanto cum congreditur Viro! Quibus tamen armis, videamus. *Inducitur nova politia Juri Naturali, Divino, & Ecclesiastico repugnans*. Proh male factum! quod etiam Civile jus eamdem novam politiam non improbaverit.

Ain vero tu? Naturali juri nova, quam vocas, adversatur Politia? Cur autem? *Enimvero Parochum, ut suum Parentem, Canonicus venerari debet, quippe abs quo Baptismum recepit, quique ipsum in Christo parturiit*. Egregie, scite, præclare, nihil supra. Ergo Episcopus, immo & Summus ipse totius Ecclesiæ Hierarcha Parocho subditur suo, a quo Baptismate lotus est; quippe qui illum utpote parentem debeat venerari. O lepidissimam illationem! Quis nesciat Pontificem, Episcopum, Canonicum, Parochum ipsum

ipsum duplicem exhibere personam, publicam, ac privatam; hac, non illa ratione subjectionis officiosæ Parocho, ut parenti, reverentiam debere? Hoccine tu ficulneo argumento Thomassinum oppugnas?

Pone, addit, *decimas Parochis, ut Ecclesia præcipit, persolvendas*. Pono, ut lubet? Quid? *non solves tu Canonice? Et tamen ex hoc capite majorem Melchisedeciani Sacerdotii supra Aaronicum præstantiam, & dignitatem Apostolus arcessit*. Quid porro inde consequitur, Magister optime? Sacerdotium, quo aucti sunt Canonici, longe inferioris esse ordinis ab illo, quod Parochis collatum est. Quod si æquale omnino, non ergo jure naturali decimas Parochis præberent Canonici, sed ad summum Ecclesiastico, si quod est. Ceterum obligatio ejusmodi Canonicum ut privatam personam, non ut Capituli membrum afficeret.

Si hinc evasisti, Nostrum audire videor, non effugies certe, ubi Divinum jus attigero. Armis tuis te petam. *Nonne pluribus supra contra Bellarminum demonstrare conatus es, Presbyteros, & magis Parochos 72. Discipulorum esse successores? Ergo Parochi divina se missione tuentur. Possunt ne, amabo te, de hoc Canonici, quod tales sint, gloriari?* Possunt, ac jure possunt. Parochi nempe Discipulis succedunt ratione characteris, non jurisdictionis, quæ tota quanta est, qua parte subditos respicit, ab Ecclesia pendet. Character porro nulla in re dissimilis

est

est sive Canonicorum, sive Parochorum. Et initio quidem Presbyteri omnes, etiam quos postera ætas Parochos appellavit, delegata pollebant auctoritate, donec in ordinariam disciplina immutata evaserit. Parochi ergo, æque ac Canonici Discipulis successisse dicendi sunt.

Quam frigidum denique, quod ab Ecclesiastico jure arcessit! *Quod nempe Sacramentorum, quæ omnibus communia sunt, ministrationem, veluti Parochorum provinciam, iis demandavit*. Dictum jam superius est, si ministerialem curam Parochis commisit Ecclesia, eminentem Canonicis una cum Episcopo imperasse. Quod si ex ministeriali cura gradus præstantiam metiri velimus, & ex Sacramentorum omnibus communium ministratione, immane quantum de Episcopali dignitate detrahetur; Episcopi quippe in Parochos jamdudum ministerium hoc conjecere. Nulli ergo juri, nisi si quid aliud ex cerebro comminiscaris, non mea, sed Thomassini adversatur assertio, quam absurdam nonnisi tu absurdissime pronuncias.

Canonicis hactenus proculcatis, Parochorum dignitatem *tribus verbis*, idest tribus paginis integris, explicare occipit Noster. Utatur ergo jure suo; neque enim id moror; immo pergratum est honestissimum hunc Ecclesiasticorum cœtum debitis illum laudibus prosequi. Atque utinam hoc solo contentus fuisset, atque hanc solam provinciam procurasset (quod ego feci meis contentus,

nulli

nulli injurius), nullæ inter nos omnino concertationes fuissent. Sed quoniam in ea, quæ congerit, animadvertenda, ac castiganda sunt nonnulla, pro Parochis perorantem affectemur. Inde porro encomium exorditur Anonymus, quod Theodulphus Aurelianensis Episcopus Discipulis 70. Parochos fuisse suffectos asserit; quod idem constantissime propugnarint Parisienses Theologi, qui in Ordine *Prælatorum Minorum* stare Parochos, & ab ipso immediate Christo eos obtinere potestatem functiones Hierarchicas exercendi asseverent. Doctrinæ hujus fundamenta Gersonium ab ipsis divinis, Evangelicisque litteris arcessere, & aliquorum Patrum calculo vocantium eos Apostolos. Unde Origenes: *Septuaginta & ipsi Apostoli nominati sunt*. Et Chrysost. *Erant & alii Apostoli, ut septuaginta*.

Non singularem Gersonis sententiam esse, vel paucis ejusdem Universitatis DD. probatam, sed fuisse sententiam Theologorum Sodalitii omnium toto Orbe celeberrimi (meminerit Lector hos ipsos Theologos pessime a Nostro initio Operis acceptos) statum, & auctoritatem Parochorum jure fulciri divino, eorum jurisdictionem immediate a Christo dimanare, qui tam immediata missione, quam electione sua Discipulos 70. decoravit, missosque participes voluit divinæ suæ jurisdictionis. Belle omnia. Non poterit tamen inficiari hæc Parochis convenire ratione characteris, ex quo habent,

bent, ut institutionem divinam appellent; nam jurisdictionem, completam saltem, ac perfectam non a Christo ἀμέσως, sed ab Ecclesia mutuantur. Character porro in Presbyteris omnibus æqualis est, & ex charactere inchoatæ, & incompletæ aliquid jurisdictionis descendens, uti latius in Appendice edisserui. Apposite Egregius Canonista, amicissimusque Episcopus Æmilius Gentilis in elegantissima Dissertatione sua Italica, quæ brevi typis excusa vulgabitur: *Non v'ha dubbio, che essendo essi i Parrochi, come i Preti Successori de' Discepoli, sono d'istituzione divina: ma come Parrochi nella Disciplina posteriore colla facoltà Ordinaria, dopo istituite le Decanie, Arcipreture, e Parrocchie rurali, e della Città, son di dritto umano, e non divino.*

Antequam vero hinc discedo, nolo intactam Nostri contradictionem pulcherrimam relinquere. Ait primo, *perspicue demonstrari non posse, administrationem Sacramentorum, & Clavium potestatem Discipulis a Christo immediate traditam fuisse. Evidentissime Textus Evangelicus edocet non esse delegatam a Christo ipso potestatem clavium, nisi Petro, & Apostolis. Ab his vero & missos, & necessariis mandatis instructos postea fuisse Discipulos.* Addit mox Aureolum post D. Thomam III. Part. Quæs. 67. docere, secundi Ordinis Principes Ecclesiæ suffectos 72. illis Discipulis, *quos Christus eadem, qua Apostolos & missione, & jurisdictione illu-*

illustravit. Hæc qui cohæreant, præter ipsum, qui intelligat, neminem arbitror futurum.

Qui sequitur porro, integer mihi §. exscribendus est, ut quantum memoria Nostrum jam ad senectutem vergentem defecerit, innotescat. Apertissima ergo Augustini protuleram verba, quibus Presbyteris excommunicandi facultas asserebatur. Is de Augustino mihi litem intentans ita detonuerat: *vocat testem M. Augustinum, quem tamen sic accipiendum, nemo unus erit* (*opinor*) *quin existimet. Fuit ne aliquando hæc in Presbyteris propria, non delegata potestas? Nemo unus, bone*. Quid si tu ipse? *Quid si Augustino* (verba ejus sunt) & *Hieronymo testibus* (non unum jam, sed duo habemus) *poterant Parochi* (Presbyteri pro temporis disciplina) *Fideles excommunicatione multare? Dubitas? Ecce verba Hieronymi: Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*. Ergo ex Hieronymo licet Presbytero tradere Satanæ: cur non vero toti Presbyterio? Atqui recordabitur Lector, quid perstrepuerit Anonymus, quid declamarit, cum id egisse Corinthiacum Presbyterium alio loco edocui. Et Augustinus epist. 295. *meminit Presbyteri, qui Diaconum, & Subdiaconum excommunicaverat; quibus relatis subdit Thomassinus: Parochus sine* dubio *fuit, qui ea severitate usus est. Hæc ille*, & *sapienter* (gratulor tibi Thomassine, quod in gratiam jam cum

Nostro redieris); *quoniam vigent adhuc in Corpore Juris luculentissimæ Decretales, quibus dicta potestas Parochis asseritur . Cap. His , qui de Major. & Obed. & Cap. Cum ab Ecclesiarum de Offic. Judicis Ordin. Interpretes ajentes , non alio nomine , nisi ex Delegatione , Parochos contentiosam illam potestatem habuisse refutat Thomassinus, mirabile illud addens; quod quam facile est divinare, tam pronum est, quæ quis divinando dixerit, repellere.* Quod postremum in Nostrum amplissime quadrat ; nam nonnisi divinando contraria superius citato loco tam contentiose protulerat.

Sed nullo ex Capite Parochorum dignitatem prolixius commendari autumat Noster, quam ex Jure pascendi. Duo in hanc rem e Sacris Litteris profert testimonia : alterum Joh. XXI. quod solum Petrum spectat : *Pasce Agnos meos , pasce oves meas* ; alterum Petri I. cap. V. *Pascite , qui in vobis est , gregem* , quod Pastores universos complectitur . Anonymo dubium non est , quin Secundi Ordinis Sacerdotes a pastione minime excludantur; sed ad solos Parochos Scripturæ Textum deflectit. Immerito quidem: nam Parochi , quales modo existunt , Ordinaria præditi jurisdictione, recentissimæ sunt institutionis . Olim Presbyteri omnes, simul ac inaugurabantur , ministerium , ac pascendi curam accipiebant, partim vi characteris jure divino, partim vi delegationis jure Ecclesiastico. Rem non abnuit Noster.

Enim-

Enimvero, ait (de jurisdictione loquens) *quemadmodum Apostolis Christus plenissimam potestatem tribuit ea constituendi, quæ ad novi spiritualis Regni ædificationem* (melius constitutionem) *facerent, essentque perpetuo duratura* (insulsum hoc: quam multa enim ab Apostolis constituta ætatem minime tulerunt, cum disciplinam respicerent); *sic non abs re erit affirmare Ss. Pontifices eodem spiritu Dei agente Parochias erexisse*. Ergo Parœciarum erectionem jus humanum appellat. Sed vide pauca post verba contradictionem apertissimam: quam enim erectionem Pontificibus attribuit, mox Apostolis adscribit. *Non Evaristo, non Fabiano, sed ipsis Apostolis rem ferunt acceptam*. Paullum Apostolum dat vadem epist. ad Titum (non Timotheum I.) cap. 1.: *reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros*. Atqui ex Hieronymo, Chrysostomo, Theodoreto Presbyteri ibi non sunt, nisi Episcopi, ex communi eo tempore utrisque eadem nomenclatura: quod & sequentia confirmant luculentissime; pergens enim Apostolus de constituendorum dotibus: *Oportet*, ait, *Episcopum irreprehensibilem esse*. Sed id obiter. Sed pene mihi exciderat pulcherrima Nostri periodus. De eadem quippe differens jurisdictione hæc habet: *Etenim non Conciliis, non Patribus, non Doctoribus id feremus acceptum: e plenitudine potestatis a Christo Ecclesiæ communicatæ hic plenissimus diffluit rivus*. Si Ecclesiæ potestas hæc commu-

municata est a Christo, aut Conciliis etiam communicata est, aut Concilia Ecclesiam non repræsentant. Quid, quæso, lepidius Nostro?

Parochorum laudationes concludit denique Canonicorum, ac Canonicalium indumentorum irrisione; quod neglectu, non confutatione indigere sanæ mentis homines non denegabunt.

In §. II.

CASTIGATIO II.

Hodierni Canonici, non Parochi, veteri Presbyterio succedunt. Vitilitigationes Anonymi. Ejus mendacia, & in Canonicos maledicta.

A Recta jam aberrantem via statim me revocat Monitor, ac Magister meus. Nam cum dixissem, in Canonicos de novo procusos (tales appellaveram Presbyteros Cathedrales, quos præ cetero Clero ad vitæ societatem, ac convictum socios adhibuerant Episcopi) veteris Presbyterii jura omnia esse translata; cumque id ibi Thomassino vade Part. 1. Lib. 3. cap. 9. asseruissem, qui hæc ita depicta Canonicorum Collegia, sive Capitula ajebat illum ipsum vetustissimum Clerum censendum esse non repræsentare modo, sed esse Episcopi Senatum,

tum, & Concilium; & me, & Thomassinum objurgat his verbis: *Perbelle, Juste, ratione scilicet volente, æquitate suadente Canonici de novo procusi veniunt in jura veterum Presbyterorum.* Sed accepisti jam quo sensu dixerim hosce Canonicos de novo procusos: nimirum cum antea Civitatis Presbyteri omnes Cathedralem conflarent Clerum, numero excrescente, nonnisi selectiores ibi Episcopos aggregasse, ceteros in Parœciales Ecclesias migrasse sub Parochis Ecclesiæ ministerio mancipatas; Parochos ipsos a Cathedrali, & Episcopi convictu sejunctos singulares in Ecclesiis suis egisse. Tenes ergo quid veteribus acciderit, quin *exauctoratos* illos a Thomassino dicere necesse sit. Præsertim cum nullo intervallo ad ea tempora me perduxeris, quibus aucto Ministrorum numero Cathedrales reditus Clericorum multitudini alendæ pares non essent: quod tum demum factum est, cum Beneficia seorsum ab Ordinatione conferri cœperunt. Rem totam ego paucis complexus sum. Post Sæculum XII. Beneficia ab Ordine distrahi cœpta; item pessimo omine in Ecclesiam inducta distinctio Beneficiorum, ut alia curæ forent obnoxia, alia ab hujusmodi onere libera. Factum est hinc, ut Ecclesiastici cœtus homines in ea potissimum oculos, animosque intenderent Beneficia, quæ simplicia appellant, otii, turpisque desidiæ fomenta. Inter simplicia porro Beneficia Canonicatus numerare neque mihi in men-

 tem

tem venit, neque ulli unquam hominum; qui Canonici Juris peritiam profiteatur aliquam. Vulgo quippe compertum est Canonicos residentiæ obnoxios, Cur, amabo, nisi ob ministerium, & quod Episcopis perpetuo & opera, & consilio præsto esse necesse sit. Id passim a Conciliis, a Patribus, a Canonistis inculcatum reperies. Hæc si cogitasses, *non obstupuisses certe tantarum miraculis rerum*. Vidisses item, qui cum nostris rationibus aurea illa Congregationis Concilii responsio in caussa Sipontini Capituli cohæreat. Nihil immutandum ibi censuerunt Congreg. Patres in ea disciplina, quæ tantopere antiquis moribus consentiret, cum Parochi Ecclesiarum variarum iidem ipsi essent Ecclesiæ Majoris Canonici, ac consiliarii Episcoporum, quod ex sacro Cardinalium Collegio manifestissime apparet. Nimirum si veteres mores probarunt sapientissimi Senatores illi, recentiores certe non improbarunt, neque hodiernis Capitulis Episcopalis Senatus nomen abnuerunt. Cardinalium itidem exemplum rem meam mirifice juvat. Ipsi quippe rejecta in suffectos Parochos, sive Vicarios ministeriali cura, totos se Pontificibus in eminentissima totius Christiani Orbis sollicitudine socios, ac ministros dedere.

Mentiris vero in caput tuum, cum Canonicos, qui vel sine animarum cura ab initio sunt exorti, vel illa levari passi sunt, miseros Cantores inverecunde appellas, qui-

bus

bus unum id negotii datum ſit, ut Choro adſint, nullamque de his, dum sunt Collegio adscribendi, inquiſitionem agere Eccleſiam aſſeris, nec ad eorum ſcientiam, aliasque quamplurimas, quas deſiderat dotes in illis, qui ad gradum aliquem in populorum salutem elevantur, attendere. Etſi ego alibi commodius mendacium coarguam, unum hic repono, uberiorem doctrinam, excellentius ingenium, ampliores dotes in iis, qui ad Canonicatus provehendi ſunt, Eccleſiam exposcere, quam in illis, quibus ſingulares Parœcias credendæ ſunt; quippe hi uni populo, uni pago, uni gregis parti præficiuntur: illi contra cum Epiſcopo totius Gregis ſollicitudine tenentur; ejuſque demortui locum, vicesque obeant, oportet.

Rationibus impar Anonymus auxiliares copias ſarcasmos, & maledicta in ſubſidium advocat. *Obſtrepentem popellum ſe non morari affirmat, qui cum Canonicos in ſacris Tribunalibus ſedentes conſpicit, dum triſtem cenſuram in eos, qui Clero ſunt adlegendi, vel majoribus Ordinibus initiandi, videt exercentes, ſactos ſcientiæ, & probitatis eorum ſubtiliſſimos penſitatores, judices ſeveriſſimos, vel, quod magis commovet, hæc eadem in eos, qui ad Parochialis gradus celſitudinem ſunt evehendi, arripientes, neſcio quid magnum, & ſublime opinatur in Canonicatu contineri.* Ecce Noſter agnoſcit hic denique eminentem illam totius Diœceſeos curam, quæ per Canonicos conjunctim cum Epiſco-

po

po exercetur, five in adminiftrandis Sacramentis, five in Clericorum promotione; five in Parochis renuntiandis. Sint modo hæc *præcaria* (nam qua fronte eblandita dicit?), *fint jura gratuitis, & arbitrariis Epifcoporum ipforum placitis nunc conceffa, nunc denegata, ad nutum ftantia, vel cadentia*; certe nondum conversa difciplina hujusmodi non erant; funtque porro luculentiffima argumenta follicitudinis, quam Diœcefeos univerfæ gerunt Canonici. Nam quid de annulo, ac mitra cum eo disputem, quandoquidem his ornamentis præcipua quædam Capitula cohoneftare Summis Pontificibus placuit, ut imprudentiffimi, *non pientiffimi* habendi fint, qui ingrati nescio quid hic olfaciunt, à vanitate potius, quam a pietate profectum. Et sane fi vanitatem hujusmodi redolent ornamenta, vanitatis etiam accusandi erunt Episcopi hisce utentes; Epifcopalis quippe dignitas, æque ac Sacerdotalis animo intime infita eft, ac conferta; neque ab ornamentis pendet. Sed finamus hominem blaterare. Alia quippe illi in deliciis funt ornamenta, non certe Ecclefiaftica.

Cur vero Nofter fæpius eodem redit? Noluiffem equidem acerbiffimum illi vulnus refricare; fed nescio quo prurito fæpius illuc manum admovet. De generali Parœciarum totius Diœcefeos follicitudine, ac regimine eminenti, eo nimirum, quo cum Epifcopo tenentur Canonici, ex vi fui minifterii cum

eo ſimul obſtricti, ac devincti, iterum mihi, illo invitante, disceptandum eſt. *O atrocem ſententiam*, exclamat amens. *Ego quidem hac audita totus cohorrui*. Superius obſtupuerat, hic cohorrescit; nimirum ubi se ex ſtupore collegit. Ad recreandum hominem, ac horrorem excutiendum accurrunt *lepidi homines*, ac per facetias ſuas rem tranſigunt. *Quid tandem hic abſoni*, inquiunt, *quid incommodi deprehendis?*

Præfectus etiam Campaniæ criminum vindex forenſe miniſterium, ſatellites, lictorem quoque, & ſpiculatorem ad coercendos improbos aſſumit: horum opera in perſequendis reis, pœniſque infligendis utitur: generali ſollicitudine, ne quid tota Campania turbetur, una cum illo tenentur: dentur, ſi placet, eædem partes modo, quem Eccleſiaſticum regimen recipit, Canonicis; nihil tamen in hoc ſibi vindicent jure ſuo. Lepide, facete, laute, nihil ſupra. Etſi porro cum carnifice nonniſi contumelioſiſſime comparantur Canonici; ignorabant certe hi faceti tui, a Senatus ſui vel conſilio, vel conſenſu lege imperante Epiſcopos pendere; quod contra accidit in Campaniæ Præfecto.

Sed nihil levamenti in facetiis iſtis reperit Noſter: *curæ* illum hæc teterrima *ſollicitum habet*. *Hinc dimiſſis lepidis viris Epiſcoporum vicem dolet, ſi horum res quoad Canonicos ſic ſe habent*. Quæ miſericordiæ viſcera adverſus Epiſcopos! Atqui Epiſcopi ipſi nihil dolent; ipſi in Conciliis illas tu-

lere

lere leges. Stupidos fuiſſe oportet eos, qui non ſentiant telis vulnera facta ſuis. *Quot enim in una Civitate Epiſcopos habebimus*? Aliud cura; nihil inde metuunt Epiſcopi, quibus compertum eſt, unis ipſis Primatum in Diœceſi convenire; Presbyteris ſub se regimen ſuæ auctoritati obnoxium. Quam abſonum vero, insulsum, alienum, quod ex Cypriano adtexit relato Cauſ. VII. Quæſt. I. Quid enim commune Schismatico Novitiano, qui per omnes Provincias, ubi legitimi præerant Epiſcopi, alios Pseudoepiscopos intruserat, cum puriſſima Eccleſiæ diſciplina jubente ſub Epiſcopo Principe Presbyteros regere, collaborare, miniſtrare? Vereor ergo, ne olfactus Noſtro corruptiſſimus ſit, *qui neſcio quid hic olfacit impudenti huic poſtulationi*.

At Hilarius Comment. in Matth. c. 26. *Specialem populi Principibus, ideſt Epiſcopis in expectatione, adventuque ſuo ſollicitudinem mandat*. Quid istud ad rem nostram? Speciali cura Episcopos jubet Hilarius rationes suas ſubducere, cum ad æternum Judicem suprema hora excipiendum se comparant. Et sane ſeverius indagandi sunt Episcopi in extremo judicio; & eo ſeverius, quo plus ceteris Presbyteris antecellunt; quod quis negaverit? Sed hæc ipsa hora non mediocriter Presbyteros sollicitos habere debet. Ridiculum porro, quod Parochis subditos vult Canonicos Anonymus, *idque vi ſui miniſterii, proque ſpeciali ſollicitudine, ac regimine in ipſos*.

Hinc

Hinc se uno verbo expediunt facillime Canonici: *cedo jus*, *cedo legem*, *cedo Codices*. Episcopis subjici nonne demum id satis est?

Sed, *amabo te*, vehementius insurgit Noster, *quando Parochi suis juribus exciderunt?* Ego dicam tibi, si de eminenti regimine, ac totius Diœceseos cura sermo fit, cum ab Cathedrali Ecclesia recedentes suas seorsim instituere rationes cœpere, cum unum cum Episcopo simul conflare corpus destitere. Sæpius eadem iterare mihi necesse est, quoniam me sæpius ad ea revocat Noster. Tunc illis ministerialis cura hæsit, nihilque eis cum Canonicis commune. *Sed si Sacerdotii dignitas in eo se maxime prodit, quod Ecclesiæ Sacerdos filios generet, genitos lacte doctrinæ enutriat, adolescentes imbuat sanctis moribus . . . huncine hæc omnia pro suo munere præstantem Canonico subjicies?* Si vera prædicat Noster, jam de Episcopali dignitate actum est: nihil horum modo Episcopi præstant: immo etiam de Apostolica actum est dignitate, cum diserte de se affirmet Paullus: *non misit me Dominus baptizare, sed prædicare*. Peccat item Anonymus, quod singulari tribuat Canonico quod toti convenit Collegio. Cur vero in hanc subjectionem tantopere invehitur, quæ disertissime Sede vacante in ipsos Parochos se prodit? Mitto interim urbanitatem Anonymi, cum honestissima Canonicorum Collegia *desidiæ castra*, ac *domicilia* impudentis-

sime

ſime vocat. Hæc nempe non verbis refutanda sunt, sed . . . . .

At *nonne animarum cura facit, ut Sacerdos vere ſit & Populi Paſtor, & Doctor, & organum brachiumque Episcopi vere nominetur?* Si pastionem, ac doctrinam spectemus, Pastores, Doctoresque sunt ad unum Presbyteri omnes vi characteris; ad omnes quippe, cum manus impoſitionem accipiunt, dicitur: *Presbyterum oportet prædicare, baptizare, præeſſe*; licet Parochis ordinaria id conveniat potestate ex nupera Eccleſiæ disciplina. Si operam, ac ministerium nomine brachii, organique expreſſam respicias, & Parochi sunt & Canonici ad hæc munia admittendi, illi, ut nunc sunt mores, in ministeriali cura, hi vero in generica, & eminenti: *quæ cum ita ſint, nemo eſt, quin videat non poſſe Epiſcopum . . . Parochos Canonicis ſubjicere*. Millies dictum est non id Episcopo adscribendum, ſed Canonicæ diſciplinæ.

In

In §. III.

CASTIGATIO III.

1. *Canonicorum Collegia, sive inita, sive distracta communione; semper vetus Presbyterium exhibuere. Id minime Noster assecutus est.*
2. *Veram Presbyterii notam infeliciter impugnat.*

AD Canonicorum Collegia tempore sive initæ, sive distractæ communionis, præcurrente Nostro, jam pervenimus. Duo principi caussæ non parum incommodare putat Anonymus. *Primum repugnare videtur*, inquit, *Clericos, & Presbyteros in Seminaria* (Collegia audiebant non Seminaria) *compulsos tanti fuisse, ut Episcopus his Consiliariis uti potuerit. Diffidebat certe his: idcirco ad Censuram vitæ communis illos vocabat, nec eos existimabat, qui Plebi moribus, & doctrina prælucerent. Quodnam alias Episcopi piaculum gregem incustoditum relinquere, & vigili Sacerdotum cura nudare?* Sed ipse Noster respondendi cura benignissime absolvit. Subdit enim: *At dices: optimos quosque Sacerdotes in Seminaria accitos, ea tamen conditione, ut ubi opus erat, illi ad Sacramentorum administrationem, plebiumque instructionem prodirent.* His pro me productis, pergit: *Do manus, nec aliter res transigi*

po-

poterat. At non ego do manus, neque oblatæ defensioni acquiesco. Immo illum minime rem assecutum contendo. Non enim ad convivendum optimos quosque Sacedotes in Seminaria compulere Episcopi, sed omnes omnino majores Clericos *præcipientes statuimus*, verba sunt Concilii Rom. sub Alex. II. Can. 4. *ut hi prædictorum Ordinum* (Presbyteros, ac Diaconos diserte appellat) *qui Prædecessoribus Nostris obedientes castitatem servaverint . . . juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, simul manducent, & dormiant*. Omnes ergo Civitatum Presbyteri, adhuc pro illo tempore animarum cura onusti, in Collegia adacti sunt, ipsi nempe illi, qui sive Cathedralibus, sive per Urbem sparsi, Paræciis erant cardinati; ut simul uno tempore Canonici essent, & Parochi, quibus sub oculis suis agentibus fidere satis tuto poterant Episcopi. His positis cum rogat iterum: *si non omnino desipio, qui fieri poterat, ut veteris Presbyterii jura in Canonicos commearint, neglectis illis, quibus fuerat animarum cura commissa*? desipit omnino. Animarum quippe cura tunc temporis in eosdem simul Canonicos, ac Parochos commeavit. Etsi nulla hic intervenit jurium neque translatio, neque commigratio. Ab initio usque adhuc Cathedrales Presbyteri in corpus unum cum Episcopo coaluere, ita ut vetus, ac novum Presbyterium nomine tenus differre censendum sit, nimirum quod anti-

antiquitus Presbyterium dicebatur, nunc Canonicorum Collegium appellatur.

Quando ergo, interrogat, *transtulerunt* (hæc jura Episcopis), *quo sæculo, in quo Concilio, quo summo Hierarcha adnitente, vel probante? Quid transtulere Episcopi? Et Episcopi potuerunt id efficere?* Evidenter rem totam ignorare convincitur. Nulla umquam translatio, nihil umquam innovatum, nulla regiminis forma abolita. Presbyterium, quale ab initio institutum, perseverat adhuc; illud nempe Presbyterium, quod Episcopo capite, Presbyteris membris compingitur. Potuere siquidem Cathedrales Presbyteri animarum cura levari (cura illa inquam, sæpius audita, ministeriali, ut Episcopi ipsi fecere), non tamen ab Episcopo Capite distrahi, quemadmodum hodierni Parochi distracti sunt.

Nihil porro Nostrum moror, cum in distractam vitæ communionem, in Collegia Canonicorum in scurræ modum debacchatur. *Hem! effluxit Senatus, laticlaviique memoria periit. Quis Gracchorum Tribunus Plebis inimicam rudi Sacerdotali plebeculæ Senatoriam Canonicorum Majestatem extinxit? Magnam profecto ab illa Sacerdotum capite censorum classe iniit gratiam. Cecidere tunc Presbyterii jura!* Et alia sexcenta, quæ honestis viris stomachum movent, ipsi existimationis non minimum detrahunt.

Ad alterum propero, quod sententiæ meæ, Anonymo Judice, incommodat. Rogat enim

pro more; *illi, qui relinquebantur Presbyteri, dum Presbyteros, & Clericos in Seminaria Episcopi cogebant, erantne de Presbyterorum genere censendi? Erant illi ipsi, quorum institutio tam magnifice a Nostro in prima parte Operis exhibita est, an ad Laicorum Classem redacti?* Nullos, repono, relictos tunc temporis Presbyteros, quin in Collegia cogerentur, eosque ad unum Animarum curæ obnoxios; nondum quippe ab Ordinatione Beneficia distrahi cœpta, quod Sæculo demum XII. factum est. Ergo extra orbitam currit, cum pergit: *Erant, dicet, utique, sed cum moribus fœdati essent, omnique doctrina destituti impares essent oneribus Sacerdotalibus, merito neglecti, & exauctorati manserunt.* Quæ nempe hic congerit, in præsentia congruunt tempora; cum Presbyteri ordinantur, quin tamen peculiaris Ecclesiæ servitio mancipentur. Quam porro insipidum, quod adtexit! *Ast, obsecro, estne illis substantia, & character Sacerdotalis relictus? Profecto, sed his non utebantur Episcopi. Res ita sit. Nihil tamen eorum fœdati mores, nihil prodigiosa illorum inscitia detrimenti poterat Sacerdotali gradui afferre.* Perinde ac si de functionibus hic ageretur, quæ Sacerdotali characteri cohærent, non vero de regimine, ac Pastorali sollicitudine, quæ non omnibus ex æquo Presbyteris, ut sunt hodierni mores, ab Ecclesia concreditur.

Accedit nunc ad illud oppugnandum argumen-

gumentum, quod si vel leviter concussisset, caussa profecto cecidissem. Non erat antiquitus quis e Presbyterio, quod animarum curam gereret, sed quod de illo esset Clero, qui in corpus unum cum Capite Episcopo coalescebat. Nam & Parochi Rustici animarum curæ erant addicti, nec Presbyterio adcensebantur. Unica ergo Presbyterii nota hæc erat plane, quod Capiti suo Episcopo veluti membra adhærescerent; quod porro, cum non jam Parochis, sed solis Canonicis conveniat, qui & olim cum Animas curarint, & modo hoc onere abjecto unum cum Episcopo corpus pergant conflare, hi soli de Presbyterio censendi sunt. Hæc de meo recitat, quæ tam clara sunt, ac tantopere urgent, ut demonstrationis loco haberi possint. Quid ad hæc ille? *Qui sic ratiocinatur*, inquit, *Cœlum Terræ miscere conatur*. Quod utri nostrum recte conveniat, discutiendum est. Ergo iterum ipse: *Scimus enim primis Ecclesiæ temporibus Clerum superiorem cujusquè Civitatis coaluisse cum Episcopo, & non solum ad spiritualis, sed etiam ad temporalis administrationis munia vocatum*. Hic jam turbare incipit; e Clero Superiori nonnisi Diaconis ad temporalem administrationem utebantur Episcopi. Notum est illud Leonis Magni in Nat. S. Laurentii; *qui non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ preeminebat*. *Nunc vero*, pergit, *quoad utrumque desiit hæc conjunctio*. Itane

quoad utrumque ? Nullane supereſt omnino Cleri Superioris cum Epiſcopo conjunctio ? Quid eſt ergo illud, quod addit ? *Interea videamus in qua miniſtrorum claſſe illa manſit, manebitque Epiſcopi cum Presbyteris conjunctio*. Quæ iſthæc confuſio! quæ turbatio! *Qua quidem in re aut nullam nunc eſſe conjunctionem Epiſcopi cum Presbyteris, aut in Parochis Urbanis hanc ſervari affirmandum . . . Cum enim unum Epiſcopi negotium ſit Animarum cura, ſit hinc non poſſe hujuſmodi conjunctionem ſervari, ſi abſtrahatur ab Animarum Cura*. At primo non ipſe modo dicebat, ſuperiorem Clerum in adminiſtratione temporali Epiſcopo etiam conjunctum ? Deinde cur Urbani Parochi hac conjunctione dignantur expunctis Ruralibus Parochis, quando & ipſis Animarum cura impoſita eſt, qua Presbyteri Epiſcopis copulantur? Ceterum hujuſmodi ab Animarum cura petitum argumentum centies occupatum eſt.

Sed nunc, quod inſtat agamus. Parochi Agreſtes curam Animarum habebant, & tamen Presbyterio non accenſebantur. *Stultus, qui ſic ratiocinatur*. Perbenigne. Sed cur, bone, ſtultitiæ notam ſic ratiocinanti impingis? *Cum longe ſepoſita, & diſparata in idem coarctet punctum, & quod conſonat cum eo, quod diſſonat, inconcinne connectat, unde incompoſitam, confuſamque vocem emittat*. Quæ diſparata, quæ conſona, quæ diſſona, quæ inconcinna memorat Noſter? *Tibi li-*

licuit, addit, *Presbyteris Constantinopoli degentibus tanta tribuere, stricte accipiendo salutationem illis impertitam ab Ephesina Synodo, qua Comministri, & membra Concilii appellantur. Erant hi Presbyteri membra Concilii, non actu quidem, nam a Concilio aberant: ergo jure; locus quippe, quem in Hierarchia obtinebant, jus illi certe tribuebat, ut cum Episcopis adessent, & judicarent. Et non licebit idipsum sensu, de quo agitur, ad rusticos illos Parochos transferre?* Liceat, ut vis; nihil tamen proficis. Ergo huc demum redit responsio tua. Parochi Agrestes non erant de Presbyterio *Actu*, sed *jure*. Atqui ne de Jure quidem. Nam si saltem de Jure fuissent, eodem cum Urbanis gradu, & dignitate censerentur. At non ita; nam ex Neocæsariensi non licebat hisce Agrestibus Parochis, Urbanis præsentibus, vel præsente Episcopo, offerre. Cur, amabo, nisi quia Episcopo, & Urbanis Parochis dignitate impares? Neque actu ergo, neque jure de Presbyterio erant. Ergo omnino non erant; ut necesse non sit ad communem mensam confugere, unde alimenta perciperent; non enim hac de caussa de Presbyterio non erant, quod communi cum Episcopo mensa non uterentur: alioquin si communio mensæ Presbyterii nota foret, Presbyterium evanuisset, cum neque Parochi modo, neque Canonici ad communem mensam ab Episcopo adhibeantur. Hæc tibi stultus ho-

mo: tibique, qui ex Jovis capite, ut Minerva olim, prodiisti, quomodo te hinc extrices, inveniendum est.

In §. V.

CASTIGATIO IV.

1. *Hincmarum canino dente arrodit Anonymus; sed immerito hic.*
2. *Nihil eum Alexandri III. Constitutio juvat: immo ipse ad me transit.*

CUm quæ §. IV. furibundus evomit Noster in antecessum jam §. I. repulsa sint, ad illa castiganda, quæ sequenti §. congerit, gradum facere necesse est. Ac principio quidem (ut millies repetita prætermittamus) canina mordacitate Hincmarum Rhemensem lacerat, in eumque felle madentem stilum acuit. *At tu nosti Hincmarum* mirabundus clamat? *Sic notus Ulysses?* Et Hincmarus, & Ulysses mihi sat noti. Græcorum Ducum hic facile Princeps; eruditorum doctissimus ille, eoque ipsum nomine collaudo. Quid attinebat igitur hominis superbiam, atque ambitionem taxare? Quid conscientiam, constitutiones, jura conculcata commemorare? Summi ille Hierarchæ auctoritatem flocci habuerit, nefario ausu justas, ac legitimas ad Sedem Apostolicam appellationes iniquis molitionibus interturbarit. Quid id, bone, ad rem nostram? *Hic ergo religione tanta Capi-*

pituli sui jussa, consilia, nutus excipiebat? Quid tu hic facias? Res ipsa loquitur. Dandum, opinor, hujusce fortunæ Capituli, quod superbus homo, supra majores assurgens, Capitulo suo prolixe indulgendum censuerit. Pergit modo intemperanter Hincmarum proscindere, sæcularibus negotiis occupatum exhibet illum, frequentissime per Tribunalia cursitantem, Aulicos prensantem, non modica auri vi ad Regiam aditum sibi patefacientem. Quid hinc conficere demum vis? Conquiesce: in maledicendo nemo tibi præripiet palmam.

Nunc rem ipsam putemus. *Quid tandem iste? scilicet noluit Abbati cuidam fundos Ecclesiæ ad censum concedere, Canonicis inconsultis. Nempe hoc totum? Quid si illi fundi de mensa erant Capitulari?* Nondum tamen eo tempore inter Episcopalem, & Capitularem mensam invecta distinctio. Sed si ad Capitularem attinebant Mensam, non Episcopi, sed Canonicorum totum erat negotium. *Vel communes Episcopo cum Canonicis.* At tu §. 3 dissolutam jampridem hujusmodi communionem docuisti. *Quid si vaferrimus homo invidiam, odiumque Canonicis apud Abbatem illum, & Monachos voluit conflare.* Si id divinare non est, quid aliud erit? Sed studuerit vaferrimus homo Canonicis invidiam ciere, itane tandem simplices illi, bonique viri, qui id minime persentiscerent? *Cum Canonicos semper infestos Episcopo omnis tradat antiquitas.* Mendax calumnia, cui ut

 fa-

faceres fidem, ex antiquitate testimonia fuissent proferenda, cum certo scires, neminem tibi ad detrahendum Canonicis proclivissimo fidem adhibiturum. *Ludum aliquem ludere volebat Hincmarus; & specie hac honoris Canonicos sibi conciliare, ac promereri; etenim clamassent alias Canonici Regiam liberalitatem in Cathedralem, & Canonicos splendida fundorum donatione collatam Præsulis improbitate, inconsulta venditione, censu, locatione labefactari*. Bone Deus! Quæ mihi confutanda sunt? Somnia, deliria! Quem ludum memoras, quas artes conciliatrices? Nonne si male cessissent hi census, in ipsum primum Episcopum detrimentum recidisset, quando communes hos fundos fuisse obtendis? In propria Hincmarus commoda pugnasset. Sed quid demum tanto molimine hanc ab Hincmaro initam rationem oppugnas? Sic tibi improvisum, & inopinatum accidit, etiam hodiernis moribus, ad venditiones, census, alienationes ad Episcopi voluntatem accedere Capituli consensum oportere?

Nondum bilem omnem in Hincmarum evomuit Noster. Is nimirum Canonicos hortatus fuerat, ut duo e gremio suo, qui ceterorum deseruerant societatem, benigne acciperent: eademque humanitate uterentur erga Adelgandum Diaconum, pro quo Rex etiam Ludovicus precatorias direxerat. Hinc occasionem arripit Noster. *Mentio*, inquit, *hic injecta valde me in sententia confirmat, Totus Aulicus Hincmarus Judaismum ipsum, ipsam-*

ipsamque idololatriam Canonicis, illique Diacono libentissime indulsisset, si Regis accessisset commendatio. Credo, quod socios illos desertores pientissimi Canonici detrectabant redeuntes accipere, quia erant illi delictorum colluvione polluti. Quis igitur eorum reditum non exhorruisset? In Novatianos inclinat Noster, quippe qui resipiscentes, pœnitentesque Canonicos negat fuisse in consortium accipiendos, si tamen somnium non est, quod calenti cerebro confingit de criminum illuvione. *Aulicis ergo quoad Canonicos, Regi quoad Diaconum obsecuturus Hincmarus sic Canonicis bonis viris illudit.* Sed si quæras ab eo, unde illi de Aulicorum commendatione, de Canonicorum simplicitate demum constiterit, hærebit omnino. *Poterat ipse solus*, rem concludit, *iniquitatem tantam bibere; at in partem venenati poculi Canonicos vocavit*. Præclaram hactenus nobis fabulam recitavit. Sed cui bono in partem venenati poculi Canonicos Hincmarus adscivisset? Numquid ex hac communione aliquid facinoris detractum iri sperabat? Et nonne hic ille superbia tumens Hincmarus, qualis ab eo describitur? Canonicis sese ergo subjecisset, eorumque postulasset consensum, cum solus conficere posset, una pestifera voluptate illectus, ut sceleris conscios suos haberet Canonicos? Quis tam insigniter scelestus? Quis? nisi Diabolus unus, præterea nemo?

Diu erat porro, cum Christianam Episco-

po-

porum humilitatem, modestiam, in Presbyteros indulgentiam non audieramus. Ne forte nobis memoria excideret, Anonymo cautio est; idcirco nobis id identidem suggerit. Id facit hic occasione Aldrici Senonensis Episcopi, ac Gerardi Cadurcensis, quos ego protuli, quod sibi Religioni ducerent aliquid in Ecclesiarum suarum negotiis moliri præter Capituli, Monachorum, quin & Laicorum consilium, ac sententiam. Quid diversorum horum hominum valeret consilium, ac sententia, quoque quisque loco staret, latius alibi explicatum est. Nunc ipsum audire gestio, nam præter morem hic aliud ex Alexandro III. expiscatus est, quod mirifice rem suam juvat. Ergo hic Episcopo rescribens Ravennati: *Si quando*, ait, *aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes ... qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam prætendas, quia patienter substinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum Cap. 5. de Rescr.* Hic Noster emunctæ naris homo Christianam Pontificis humilitatem, atque in Episcopum indulgentiam olfacit: ego porro naris obesæ docilitatem sentio, atque æquitatem, nisi velit indulgentiæ dare, quod nolit Alexander ea Episcopum perficere, quod prava fuerit Pontifici insinuatione suggestum. Quam in-

insulsum vero illud: *intentabit alias SS. Pontifici litem Ravennatensis Antistes, & de Primatu contendet*; perinde ac si, ne de Primatu contendat, opus sit demum Pontificiis jussionibus sive justis, sive injustis obtemperare. Ceteroqui nec Episcopis nos primatum in Diœcesi abjudicamus, cum socios illi in administratione, ac regimine Presbyteros damus.

Ad extremum, ut solet, ad nos transit Anonymus; pergit quippe: *Hæc autem propterea commemoravi, ne quis existimet me adeo dementem, qui negem Episcopum egere consilio, vel adeo improbum, & invidum, qui Canonicos velim amotos: imo hos primum, modo aptos nanciscatur, adhibeat Episcopus: contra irruentem quoque superbiæ vim hoc munimine Prælatorum pectora obarmasse non fuerit omnino inutile.* Teneamus confessionem, cui si illud adjiceret, id per Canones statutum, nihil ultra poterit desiderari, ut tutum Nostrum Anonymum & agnoscamus, & gratulemur. Etsi alibi ex hisce capitibus non mediocriter mihi incommodavit.

In §. VI.

CASTIGATIO V.

1. *Multiplex Anonymi accuſatio. Refellitur.*
2. *In Elnenſi Concilio delirat.*
3. *Propudioſa in Canonicos maledicta.*

MUltiplex hic, ac tumultuaria accuſatio. Arguit primo, me *Canonicorum uno hærentem obtutu duplices ſe attollere Thebas videre*; ubi Clerum legero, ſolos Canonicos dictos putare; ubi Congregatio Eccleſiæ nominatur, jurare me ſolos illo nomine Canonicos intelligere; atque in me illud uſurpat: *Jupiter eſt quodcumque videt, quocumque movetur.* Vellet preſſiorem illius vocis ſignificationem. Preſſiorem non habeo; neque inveniri, aut fingi poſſe autumo, quam hanc, ſi videlicet Canonicos definiero Cathedralis Eccleſiæ Clerum; illum nempe, qui cum Epiſcopo capite in corpus coaleſcit unum. Ut ex. gr. *Clerus Matris Eccleſiæ Pariſiorum*; cum plurimæ fuerint Pariſiis Eccleſiæ, quemadmodum Eccleſia Mater, nonniſi Cathedralis accipi poteſt, ſic ejus Clerum nonniſi illius Canonicos intelligi fas eſt. Congregationem ullam Eccleſiæ nec nominavi umquam, neque erat e re mea nominare, quippe qui ſcirem Canonicorum cœtus nonniſi Collegia dici. In his Colle-

giis

giis, in hisce cœtibus Canonicos vidi, ut falsissime arguar eos ubique videre. Quod si sub Abbatum regimine Monachi degentes Canonicis accenseantur, hi Regulares Canonici distinctionis ergo appellare moris est. Quod Clerum Augustino adjunctum Canonicos dixerim, inter consueta hominis mendacia recense.

Accusat deinde, *quod ab Hincmaro, qui floruit Sæculo IX. a Gerardo an.* 1090. *recurram ad Alipii, Augustini, aliorumque Africanorum Episcoporum tempora, nulla variantis disciplinæ habita ratione . . . . cum alii aliis temporibus mores invaluerint, rursus & eodem tempore diversi mores pro regionum diversitate.* Injusta prorsus accusatio: neque enim tanto dissita intervallo, si Chronologum agerem, conjunxissem; sed ut veterem recentiori consentientem disciplinam exhiberem, ex antiquitate necessario mihi petenda erant argumenta. Non variata hæc ad nos usque deducta est, quin potuerit vel temporum, vel locorum diversitate interverti. Ad ipsum porro pertinebat, variationem, quam gratis asserit, productis monumentis edicere. Quid quod ipse Noster statim contra se confitetur nihil umquam hac in parte, vel temporum, vel regionum diversitate immutatum. Subdit enim continuo: *memorat Cleri Parisiensis ad Guenilonem Metropolitam consentientem* πράξει *Alipii, & Augustini, scilicet Africam cum Gallia connectit* (ingens piaculum), *& quasi*

na-

novum quid exhibeat illa epistola, urget jus Canonicorum in electione Præsulis. Si novum non est, quod illa continet epistola, ergo nihil in hac re temporum, vel locorum varietate mutatum est. Licuit ergo Africam cum Gallia connectere.

Clerus autem ille quis est, nisi Capitulum? Sic ego. At ille: *quis nisi Capitulum? Inscriptio epistolæ hujusmodi est: Clerus Matris Ecclesiæ Parisinorum, & Fratres Cœnobii S. Dionysii, ac S. Germani, ac B. Genovefæ, ac Fossacensis, diversorumque Monasteriorum unanimitas*. Lectores, vestram fidem, quæ Mater Ecclesia Parisinorum, nisi Cathedralis? quisve hujus Ecclesiæ Clerus, nisi illius Capitulum? *Hui quot Canonicorum! Ipsa multitudo vilitatis est argumentum*. Solemne est Nostro, cum, quid respondeat, ad manus non est, scurram agere. Quam Canonicorum multitudinem commemorat? Soli hic recensentur Cathedrales Canonici: alii Cœnobitæ, vel ipsi saltem Regulares Canonici. Infirma hæc mea appellat: esto; sed infirmissimis, immo nullis dejecta argumentis.

Irridet mox ab Elnensi petitum Concilio; *quod decretorium succedaneum vocat, & quod jugulum petat*. Quam vereor, ut vera prædicet; nam si res se aliter haberet, rationes, non ineptias opponeret. Ergo Elnensi cautum, *ut querela ad Episcopum, vel ejus Canonicos fiat*. *Quid si hic*, ait ipse, *totum concederem? An exinde aliquid detri-*

men-

menti in Parochorum inveheretur dignitatem? Quasi hic de Parochorum ageretur dignitate minuenda. *Et Canonicis hoc munere decoratis aliquid splendoris accederet? Nihil alienius.* Contra communem sensum pugnat, contra Scripturas, quæ Judices Deos appellat: *Ego dixi, Dii estis.* Qua fronte igitur forense ministerium (illud præsertim, quod Ecclesiæ convenit res tantum spirituales attingens) *rem ut vilem, & abjectam* traducit, *in Canonicos inferioris utique notæ Sacerdotes rejectam.* Quo quid indignius in Canonicos poterat efferri? Distinguimus ergo in Sacerdotio Christi, ut inferiores alii, alii Superiores habeantur? *Estne omnibus*, verbis ejus utor, *substantia, & character Sacerdotalis?*

At subdit: *fuerit illud honoris indicium, & prærogativæ Canonicorum argumentum, obtinuit-ne idipsum ubique?* Ego vero affirmo, iis saltem in locis, ubi Decretales Pontificum leges obtinent, uti suo demonstratum est loco, & inferius docebitur. Sed quam lepidus homo est. Ipse nunc ubique obtinere ait. *Nam desert*, inquit, *Episcopus Vicario Generali (qui & Clericus esse potest) totum contentiosum tribunal.* Ea certe ubique obtinet consuetudo. *Quid interea?* Vin scire? Parochi ipsi huic subsunt Vicario; ab eoque in Parochos ipsos animadvertitur. Vide ergo, num vilis, & abjecta res sit forense ministerium. Consuetudine porro factum est, ut integrum Episcopo sit hoc mini-

ni-

nisterium Generali Vicario deferre, cum Canonico jure, quale in Decretalibus prostat, Presbyterio conveniat.

Quoniam vero, addit, *multi Episcopi ex Monachis assumti in Cathedrales Ecclesias Canonicos Regulares inducebant, & regularem formam, cui in Monasteriis assueverant (ubi cum consilio, & consensu Capitularium res quæque transigebantur) adhuc vellent servare* (quam cuperem, ne hæc exciderent Nostro; non parvo quippe usui sequenti §. futura sunt); *hinc effusioris liberalitatis in Canonicos illos argumenta per eosdem Episcopos collatæ conspicimus: proinde mirari non debemus, si audiamus interdum Canonica auctoritate gestum, quod illorum prævio consilio, & consensu fuerite xpeditum*. Atqui ego hujusce liberalitatis argumentum illud produxi ex Cæsenate Episcopo in Capitulum suum profectum. Ut ergo assertioni fidem faceret Anonymus, eum oportebat probare Cæsenatem illum Episcopum ex Monacho Episcopum evasisse; quod non facit, nec eum facere posse arbitror. Deinde, cur e Regularibus potius assumti Episcopi præ aliis in Canonicos suos effusiores fuissent? Quod nempe Regularem formam, cui in Monasteriis assueverant, induxissent? At Regulares Præpositi in Monachos non modo non profusi, quin & tenacissimi ad sese omnia corripere, omnia studuerunt complecti, quod mensarum in Monasteriis inducta distinctio perquam luculenter ostendit. Denique jure meritissimo

mi-

mirari debemus auctoritate Canonica gestum dici, quod prævio Canonicorum illorum Regularium consilio, ac consensu gerebatur, si id non per Canones, sed privata illorum Regularium Prælatorum auctoritate pro arbitrio, ac benevolentia constitutum foret.

Jam vero excanduit Noster: omnium distædet; nec *Hincmarum moratur, nec Gerardum; nec nigros, vel albos Monachos, omnesque, quorum illi præceptiones, exempla, mores repræsententur. Illud est sanctum Jesu-Christi Evangelium in Ecclesia custoditum, ad quod magis, quam ad lydium lapidem, cuncta vult explorentur.* Nisi hominis religionem compertam haberem, dicerem id a Novatoribus mutuatum; immo & Novatores ipsos antevertisse. Illi quippe Ecclesiasticam disciplinam exosi ad totam divinam Scripturam provocant; omnia ad illam contendunt exploranda: solum Evangelium appellat Noster. At nonne Evangelium Ecclesiæ potestatem facit jubendi, constituendi, disciplinam pro temporum, ac locorum diversitate ordinandi? Sed quid demum ex Evangelio depromit, quod mihi adversetur, suamque caussam juvet? Ad pastionem redit, de qua ad ravim usque superius disseruerat; eique satis, superque responsum est: nolo enim infinitis repetitionibus tædio Lectorem afficere molestissimo.

Redit denique ad conjunctionem cum Episcopo, quam Canonicis, jure resistente, abjudicat, adjudicat Parochis. Eadem ingemi-

 nat,

nat, quæ alibi fusissime, nec ingeminare delassabitur umquam, Animarum scilicet curam Parochis impositam, quæ illis cum Episcopo communis est. Huic palmario, quo utitur argumento, cum superius occurrerim, non triumpho, donec ipsum Anonymum mirifice mihi consentire (licet præter voluntatem suam) ostendero. Ego quippe Pastorali sollicitudine in ministerialem, ac generalem eminentem distincta', Canonicos asserui Episcopi Ministros in illa eminenti, ac universali, Parochos in una ministeriali. Nihil ille diversum sentit. En ejus verba. *An non Episcopi brachia, cor, oculos, viscera* (hoc supra in me reprehenderat Anonymus, ubi de Ignatio sermo fuit) *Parochos dices? Numquid unum Episcopalis Ordinationis fastigio, & UNIVERSALI sollicitudine excepta, Parochus cum Episcopo?* Datur ergo in Episcopo Universalis quædam sollicitudo; cur non & Universalis sollicitudinis Ministri Canonici?

Ad extremum bacchantis in morem, modestia, ac pudore deposito, Capitula propudiosis proscindit maledictis, quod non modo a Christiana charitate, ac Sacerdotali humanitate, sed ab ipsa civili urbanitate alienissimum est. *Quid dicendum de Canonicis Animarum cura spoliatis?* Contentiones, jurgia, dissidia Canonicorum memorat (otiosos enim illos homines esse blaterat) cum Episcopis de exemptionibus, ac privilegiis. Optaret, ne extarent ista intemperantioris Canonico-
rum

rum ambitionis horrenda monumenta. At ubi extant denique hæc monumenta? unum saltem produxisset? Itane rursus horrenda? Si hujusmodi fuissent, cur Concilia, Tridentinum præsertim, rem horribilem ab Ecclesia non eliminassent? Ceterum, si quid hac in re a Canonicis peccatum est, tam horrendum non est, tam inauditum, aut insolitum; ipsa horum mater communio, ac societas, qua Episcopi copulabantur Canonici, humani aliquid peperit. Monasticas exemtiones horrendas certe modestissimi illi Patres, qui eas improbarunt, minime dixere. Horrebunt potius morati Lectores, quod viperina lingua adtexit: *O Canonici, vos-ne illi Unum cum Episcopo? Siccine in Leoninam humanam illam societatem cum Episcopo initam vertistis? Pugnastis in viscera Matris vestræ, quæ vos Sponso suo Episcopo Pastori adhærentem gregem eduxit*. Denique ad Episcopos conversus impotens præ furore: *O Episcopi*,

Vipereo generi, & graviter spirantibus hydris
Spargere quis somnos, cantuque, manuque valebit?

Hæc redivivus Archilochus, quem fœdis hexametris rabies armavit. *Nihil hujusmodi de Parochis in tota offendimus antiquitate*. Sic satyram concludit. Sed quoniam satyram scribere a meo alienum est ingenio, ac Parochos summa prosequor veneratione, ab antiquitate in odiosissimis hisce rebus perquirendis consulto abstinui.

In §. VII.

CASTIGATIO VI.

Toto impetu me aggreditur Noster de Alexandrina Const. Cap. Novit. Retunditur.

Bis memini, Excursorem Nostrum aliquantisper substitisse, semel superius, hic iterum. Neque id injuria; ait enim, me inflatis altius tibiis, omnibusque collectis viribus exultabundum ipsum aggredi, novoque eloquentiæ de singulis vocibus sollicitæ impetu susceptam caussam propugnaturum me excitare. Decere ergo, nihil se eorum, quæ profero dissimulare, vel prætermittere, quod ingenuus pudor (si quid adhuc in eo superest) vetat, & justitia exhorrescit. Sed quorsum magnus hic apparatus? Nimirum, quod Alexandrinam Constitutionem, quæ jugulum petit, excutiendam suscipit; & (quod magnifice cum suis jactabat) invenisse confidit, quo eam mihi extorqueat. Videamus modo, num ei res ex sententia cedat.

Ergo rescribens Hierosolymitano Patriarchæ Alexander III. hæc habet concepta verba cap. quanto de his, quæ fiunt: *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui unum corpus sitis: ita quod tu caput, & Fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris, te aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis*

uti

uti: cum id non ſit dubitandum & honeſtati tuæ, & SS. Patrum inſtitutionibus contraire. Innotuit autem auribus noſtris, quod tu ſine conſilio Fratrum tuorum Abbates, Abbatiſſas, vel alias perſonas Eccleſiaſticas inſtituis, ac deſtituis. Inde eſt, quod Apoſtolica auctoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatiſſas, vel alias perſonas Eccleſiaſticas ſine aſſenſu, vel conſilio Canonicorum tuorum inſtituere, vel deſtituere de cetero præſumas. Hæc, ipso teſte Anonymo, rem conficere videntur; ſed ſi paullo diligentius excutiantur, nihil ad rem facere æquus judex affirmabit. Primum ab te bona venia peto, ſi tibi placere potis eſt, mihi ut respondeas, ubinam gentium æquum hunc judicem possimus invenire. Nam tu ipſe doles, clari nominis Canoniſtas ſic Capitis hujus magnifica verba ſtupuiſſe, ut ingentem exinde in Capitula omnia cum Episcopalium jurium detrimento auctoritatem invexerint. Et quidem tuus ille Gonzalez non certe clariſſimi nominis Canoniſta, ut oſtendemus, minime gentium tibi favet. Vereor ergo, ut tu solus Actor ſis, ac Judex. Et re quidem vera ſtatim sententiam parte inaudita altera, ut conſueſti, pronuntias. Subdis enim: inſignis hic fallacia eſt, & Logico nimis indigna de genere ad genus tranſitio. Quantum ſibi in Logicis plaudit Noſter? Ergo etiam clari nominis Canoniſtas ad ludum ventitare tuum opus erat, ut Logicam edocerentur? Sed quæ hic inſignis fallacia? quæ de genere in genus tranſitio?

 Ec-

Ecce tibi, *Hierosolymitarum Capitulum constabat ex Canonicis Regularibus, qui Mitra, & Baculo utebantur* (nec puto id eos dedecuisse, etsi Episcopi non erant) *& Priores vocabantur: hi ex suo gremio Archiepiscopum, seu Patriarcham velut Abbatem sibi eligebant, & ad normam Monasticarum Constitutionum Ecclesias Monasterio suo subjectas regebant, quibus Prioribus, seu Canonicis servanda erant sua jura, cum id S. Benedicti Regula cautum sit. Patriarcha ille, cum constitutos fines esset pretergressus, jure a Pontifice ad officium cogitur, & ad Fratres in consilium adhibendos cogitur.*

His prænarratis ex fide Pennoti lib. 2. Hist. Can. cap. 41., ac Novarii lib. 3. Chron. cap. 14. pergit: *Quid autem ex his extrudi poterit pro Canonicorum nostrorum mirifica illa, & tanto strepitu decantata Capitis cum membris compagine? Da alterum hujusmodi Capitulum aut esse, aut fuisse, & nos tibi Capitis cum membris necessariam conjunctionem ultro fatebimur.* Quid si ego non unum, aut alterum, sed omnia prorsus Capitula hujusmodi fuisse, quale Hierosolymitanum fuit, ostendero; datam fidem defugere non poteris, promissis stare oportebit. Atqui res sic se habet omnino. Assertionis probationem ex te ipso petam. Affirmas quippe pag. 201. n. 2. Episcopos multos ex Monachis assumtos (hæc tua verba superius recitavi, & ne mente exciderent, rogavi) in Cathedrales Ecclesias Canonicos Regulares indu-

duxisse, & regularem formam, cui in Monasteriis assueverant, ubi cum consilio, & consensu Capitularium res quæque transigebantur, servare voluisse. In uno tantum diversi abimus, quod tu multos dicis Episcopos hanc rationem iniisse, & eos, qui e Monachis Episcopalem Cathedram ascenderant, ego eo temporis articulo; Episcopos ad unum omnes, sive ex Cœnobio, sive ex sæculo Episcopatum nanciscerentur. Obtinebat tunc quippe, ut Episcopi communem vitam cum Canonicis suis degerent, Cœnobiticæ adeo consonam, ut Canonicorum Collegia Monasteria appellarentur. Si e gremio suo Hierosolymitani Canonici Archiepiscopum legebant, Capitulis omnibus æquale jus erat, ut Præsulem sibi optarent. Res omnibus comperta est. Necesse est ergo, quod pollicitus es, ut Capitis cum membris in Capitulis omnibus conjunctionem fatearis. Non est igitur singularis species, quæ cit. Cap. proponitur, ad alienas non facile derivanda. Nulla hic ergo transitio, nisi de specie ad speciem.

Sed non necesse habeo ad Monasticam vivendi normam tempore Communionis initæ in Capitula invectam confugere, ut necessitatem vel consilii, vel consensus eorumdem in Ecclesiasticis negotiis expediendis confirmem. Id ex veteri descendit disciplina, ex antiquissimis Canonibus, ex Presbyterii juribus, ad quæ Capitula legitime succedunt. Idque doctissimus Pontifex disertis-

 sime

sime teſtatur, cum Patriarchæ rationes non Regulæ S. Benedicti, ut aſſeris (etſi falso dicitur hac Regula cautum, ut in collatione Prioribus sua jura serventur : Beneficia quippe a solis conferuntur Abbatibus) *ſed SS. Patrum inſtitutionibus aſſerat contraire.* Qui Patres hi, niſi illi, qui sapientiſſimæ hujus, vetuſtiſſimæque diſciplinæ conditores fuere; ut hinc discas, etiam disjunctæ communionis tempore id antiquiſſimum jus vindicandum. Neque illud prætermittam, Pontificem improbare, quod Patriarcha non Abbates solos, aut Abbatiſſas Canonicis inconsultis inſtitueret, deſtitueretque, sed *alias quoque Eccleſiaſticas personas*, quæ certe de Monaſtica non erant familia, ut in illas jus Prioribus eſſe poſſet. Accedit, quod Epiſcopalis poteſtas non ex Regula pendet, ut illi obnoxius ſit, ex eaque regimen inſtituere teneatur; propterea que, niſi Jure aliquo totius Eccleſiæ Canonicorum conſensum exquirere, aut expectare debeat, nulla privata Regula ad id adigi poterit aliquando.

At quid tu, bone vir, contra evidentiam pugnas? Cur quæ certiſſimo jure ſtatuta ſunt negas? Nam primo, quo ore inficiaberis, cui persuadebis homini, Capitulum corpus non conflare, corpus, inquam, quod Parochi ſeorſim agentes minime compingunt? Si vero corpus conflant Canonici, caput habeant neceſſe eſt, ne ſint ἀκέφαλοι. Quodnam porro huic Corpori præter Epiſcopum dabis caput? Si porro Canonicorum Caput Epi-

ſco-

ſcopus, nonne hinc neceſſaria cum illo iſtorum exiſtit conjunctio? Deinde, nonne permulta ſunt, quæ prohibentur Epiſcopi expedire, niſi Canonicorum acceſſerit conſenſus; idque non ſolum Alexandrina hac conſtitutione tantum, ſed noviſſima Tridentina Lege? Vides quanto impetu aerem verberas; an nondum etiam?

Supereſt, ut tibi Gonzalez eripiam auctoritatem, quod perfacile eſt. Nimirum, cum Alexandrum aſſerit in præſenti decreviſſe Patriarcham ipsum Caput eſſe, Canonicos vero S. Sepulchri membra, atque adeo illis inconſultis, non debere Patriarcham &c. cum inquam id affirmat, non negat aliis Capitulis Epiſcopos Capitis loco non eſſe, ut liceat aliis Epiſcopis Canonicis inconſultis gravioris momenti res aggredi, quod ſane in Canonica re tyrones jamdiu perdidicere. Neque enim Gonzaleſius rem in laudato capite propoſitam, veluti speciem ſingularem, exiſtimat aliis non applicandam. Noverat quippe perpetuo ſingulares ſpecies in Decretalibus exhiberi, quarum deciſiones generalium loco habentur conſtitutionum, ut exemplis innumeris proclive eſſet oſtendere.

Hactenus, niſi fallor, *triarii* mei partibus ſuis probe perfuncti ſunt. Immoti in acie ſteterunt. Quid valeant velites, diſpiciamus. Ergo Paſchalis II. Compoſtellano Episcopo auctor fuit, *ut tales ſibi Presbyteros conſtitueret, qui digne valerent commiſſa ſibi Eccleſiaſtici regiminis onera ſubſtinere.* Verba

hæc

hæc ad Parochos detorquet Noſter ad hunc modum: *dum meminit Presbyterorum, qui valeant Eccleſiaſtici regiminis onera ſubſtinere, cumque onera iſta potius Parochi, quam Canonici ſubſtineant, jam liquido conſtat, illo affici honore Canonicos Curatos.* Ego nulla alia agnoſco præter illa, *quæ Chriſtus conſtituit, ſcilicet Verbi Divini prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem, ſanæ Doctrinæ præceptiones.* Sed alia etiam a Chriſto profecta, & inſtituta agnoscit Eccleſia, Legislationem ſcilicet, præmiorum diſtributionem, pœnarum irrogationem, Sacræ Doctrinæ tuitionem, quæ certiſſime Epiſcopis commiſſa ſunt; in quibus ex vetuſtiſſima Diſciplina Presbyterium, modo Capitula, Episcopis Eccleſia auxiliari jubet, non Parochos, quibus ſolum Verbi miniſterium, ac Sacramentorum collationem relinquit. Regimen ergo Eccleſiaſticum longe a miniſteriali cura diſtat; alias, cum hanc diu abjecerint Epiſcopi, regimen etiam abjeciſſe dicendi forent.

De Callixto II. vetante, ne Archipresbyteri, vel Archidiaconi Clericorum ulli interdicerent *Archiepiſcopi, vel Capituli injuſſu*; memetipsum *conſulere* jubet Anonymus, ac *recognoſcere ea, quæ in I. Parte ſcripſi de Excommunicatione in inceſtuoſum Corinthium ab Apoſtolo lata*: Ergo rata illa habet, indictaque vult, quæ illic contra oggeſſit. Perquam illi teneor. Et ecce velites ipſi rem bene geſſerunt.

In

CASTIGATIO VII.

Non minus ei infeliciter res cedit in Concilio Burdigalensi, ac Card. Polo.

QUamvis Alexandrina Constitutio dilucentissima non esset, ut nullum relinqueret dubio locum, certe sequentium Synodorum, ac doctissimorum hominum interpretatio tanti esset, ut dementiæ arguendi forent, qui diversa forte opinantur. Duo inter cetera ego produxi, Synodum scilicet Burdigalensem, ac doctissimum Card. Polum. Ergo illa: *Declarat*, inquit, *hæc S. Synodus præcipuam in ipsis Ecclesiis auctoritatem ad Episcopum pertinere, eosque consilio, & opera Capitulorum, ac dignitatum* (Parochos certe nec nominat quidem) *juvari, ut membrorum Capiti coherentium, & obsequentium.* Hic porro: *cum Canonicatus, & Præbendas in Ecclesia instituendi ratio, & caussa hæc fuerit, ut qui ad eas assumuntur, Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione, consilio, & opera adjuvent, & in Divinis Officiis celebrandis Ecclesiæ inserviant.* Vides illud primum Canonicis datum, ut Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione, consilio, & opera adjuvent. Odiose igitur simul, ac inepte effutit Noster. *Horum* (Canonicorum) *sit attente, ac de-*

vote

vote horas Canonicas persolvere, quod & Carthusiani, ac litterarum expertes Cœnobiorum secretiorum familiæ peragunt.

Polum principio, ac Burdigalensem uno impetu aggreditur Noster. Quid pientissimus Polus, inquit, dixisset, si in sermonem de Parochis incidisset, quid Synodus Burdigalensis? Liceat mihi, quoniam huc evasit lepidissimus Noster, animi gratia narratiunculam, quam a Senioribus accepi, interserere. Michaelem Archangelum Patricellium dignissimum olim Capituli Nostri Archidiaconum in magna nominis celebritate Neapoli notissimum nobilis imprimis vir, ac litteratus Cæsareus, nisi labitur memoria, Legatus conventurus Aversam se contulit. Cathedralem Ecclesiam vix ingresso forte fortuna fit obviam temporis illius Decanus, a quo, num Patricellium vidisset, cum sciscitaretur ille, *sed ego*, inquit, *Capituli sum Decanus*. Bene habet, & gratulor, ceterum inveniendi amici mihi nunc cura est. *At ego*, reposuit, *Capituli sum Decanus*; quod cum tertio, & amplius respondisset, nihil ultra ab homine exsculpi posse animadvertens, ad rem suam abiit. Mox occurrentem amicum, ac multa urbanitatis ergo, ut assolet, prosari parantem, ego vero, interpellat, multis commoditatibus hunc adventum meum cumulatum sentio. Quippe hominem beatiorem vidi neminem, quam vestrum Decanum, nec qui præ eo magis sit sua sorte contentus. De te nimirum bis,

sc-

ſemel, ac tertio interrogato nil amplius extorqueri potuit demum, niſi hoc unum: *Ego ſum Decanus*. Abſimilis non eſt omnino Noſter. Synodus, Polus de Canonicis diſſerunt, eorum inſtitutionem, inſtitutioniſque exprimunt cauſſam, Epiſcopis ut membra Capiti datos, ejus Adjutores in ſuorum munerum functionibus. Ille ad Parochos procurrit. *Si in ſermonem de Parochis incidiſſent*. Quadrat optime illud Gnathonis apud Comicum:

> Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilã
> Continuo: ſi quando illa dicet, Phædriã
> Comeſſatum intromittamus, tu Pamphilã
> Cantatum provocemus; ſi laudabit hæc
> Illius formam, tu hujus contra.

Sed niſi Polus de Curatis Canonicis loquatur, deſideramus in ejus verbis ſolitam Poli prudentiam. Accipiat nunc Polus Noſtri judicium. Doctiſſimus eſt ex me, addit ille, etiam *pientiſſimus*; *at non prudentiſſimus*. Ceterum poterit Noſter deſiderio ſuo, cum vult, contabeſcere; prudentem, qualem optat, nuſquam gentium inveniet. Unus eſt ipſe, & ſocium non habet ſecundum. Imprudens Polus non de Curatis hic agit Canonicis, quales temporibus ſuis perrari erant; ſed de Canonicis generatim; quos tamen in Epiſcopali munere conſilio, & opera Præſules juvare oportere aſſerit; atque hanc rationem ſibi Eccleſiam in Canonicis inſtituendis propoſuiſſe.

Polo abſoluto judicium ſubit Synodus Burdi-

digalensis. In ea urgebam illud, *præcipuam* scilicet in Ecclesiis Episcopo auctoritatem adjudicari. Si præcipua Episcopo asseritur, jam aliqua Canonicis relinquitur potestas: *Quod enim est præcipuum, non est solum*. Has in angustias præter opinionem compulsus Noster, invocat Grammaticos, Lexicorum auctores adit, a quibus vox *præcipuus sumitur sæpe pro singulari: Sic Calepinus Facciolatus, & alii innixi testimonio Ciceronis lib. 2. ad Atticum: quod negas præcipuum mihi ullum incommodum impendere*. Ut errat! Ergo in hoc verbo *præcipuus*, idea certe includitur comparationis, quod particula *præ* evidenter innuit. Porro comparatio non est, nisi inter plura. Significat ergo ea vox, quod inter plura singulare est. Atque hinc fit, ut vox ea singularitatem etiam significet, non absolutam quidem, sed relativam, quam vocant. Hinc apposite Cicero laudato loco: aliquod sibi *præcipuum* affirmat incommodum impendere; idest singulare, peculiare præ ceteris incommodis. Auctoritas ergo *præcipua* illa dicitur, quæ præ aliis sit singularis. Sed *pudet* Nostrum, *huc esse deventum*: agnoscit quippe infantiam suam. Ergo redit ad illud, quod melioris notæ non est, Burdigalensem, ac Polum de Canonicis cura gravatis intelligendos: *nam ipsa verba satis indicant*. Quænam amabo? *Alias*, ait, *quanam opera Episcopos Canonici adjuvent?* Primum consilio, deinde eadem illa opera, quam Episcopi Ecclesiæ navant

re-

regendæ, ut sunt mores hodierni. Sed nonne ipse Noster, non de Curatis Canonicis laudatas auctoritates accepit? ait quippe: *An Burdigalensis, & Polus non idem dixissent, si in sermonem de Parochis incidissent?* Non ergo de Animarum Curatoribus sermonem instituebant.

In §. IX.

CASTIGATIO VIII.

1. *Capitula hodierna totum Clerum exhibent.*
2. *Canonicorum electio communi jure nonnisi de Capituli consensu perficienda.*

EXpectabat hic a me Anonymus lugubrem ejulationem, utque me ad lacrymas excitarem cum Tragico:

> Quis mea digne deflere potest
> Mala? Quæ lacrymis nostris quæstus
> Reddat ædon?

Cur, bone? quæ tanta me impendent mala? *Quid irasceris? Quod exultabundus meum Capitulum pro Cræso Irum obtrudo; & a vetusta Ecclesiæ praxi, qua ab Ordinatione Beneficia non sejungebantur, argumentum desumo ad ostendenda Capituli jura in præmiorum largitione.* Siccine demum depauperata Capitula, ut ad Iri miserrimam conditionem deducas? Sed nonne, quemadmodum quo tempore ab Ordinatione Beneficia mi-

minime sejungebantur, præscriptum erat; ne inconsulto Clero quis Ordinibus initiaretur (quod perinde erat, ac nemini ad Beneficium, sive substentationem, nisi de Cleri assensu aditum patere), ita etiam postremo Decretalium jure res se plane habet? Audivimus modo Alexandrum III. Hierosolymorum Patriarchæ exprobrantem, quod prætermisso Canonicorum Fratrum suorum consensu, vel consilio Abbates, ceterasque Ecclesiasticas personas instituerer. Quam Decretalem modo a tuis cavillationibus vindicavimus. Apud Innocentium III. conquesti sunt Canonici Inculimenses de Episcopo suo, quod confirmaret Abbates, ac difficiles tractaret caussas sine Canonicorum assensu. Pontifex de jure minime hæsitans, factum solum Bituricensis Archiepiscopi inquisitioni permittit. Quas tenebras tu tantæ luci offundes? Accusas, quod Cleri nomine Capitulum intelligam; putas enim nomine illo, quotquot erant, de Clero designatos. Ita profecto, si de veteri disciplina sermo sit; Clerus tunc quippe totum designabat Presbyterium majoribus Clericis compactum. Si ad hodiernos mores res exigatur, solum Cleri nomine hic veniunt Canonici. Accipe id ab Espenio: *Cum Capitulum Cathedrale totum Clerum repræsentare cœperit, ipsumque Ecclesiæ Senatum, prætendit etiam, juxta Canonum præscripta, in Ministrorum electione, & in Beneficiorum collatione, qua Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur, tam-*

tamquam in re summi momenti, *Capituli consilium expetendum*. Nulla hic Beneficiorum distinctio; in omnium prorsus Collatione, sive simplicia vocentur, sive Curata, sive majora, sive minora, Capituli consensum expetendum citra ullam hæsitationem doctissimus Canonista confirmat; idque juxta Canonum præscripta. Apage ergo tu cum tua illa interpretatione vanissima, quam superius soli Alexandrinæ Constitutioni adpinxeras; nunc porro ad Innocentianum responsum, nullo vade, solita tua confidentia accommodas. Cum demum distractam dudum, & abruptam Episcopi cum Canonicis communionem objicis, immo & omnino *deletam*; neque quid dicis, intelligis, neque de quibus affirmas. Distracta illa, & abrupta communio ad solam pertinet communis vitæ aliquando institutam rationem, quæ jampridem exolevit; non ad nativam Canonicorum cum Episcopo conjunctionem, quæ viget prorsus, vigebitque, dum Canonicorum Collegia constabunt.

His ita constitutis, permitto interim Nostro, ut in disciplinæ mutatione edocenda exspatietur quam latissime, in ejusque mutationis caussas subtiliter inquirat; modo duo mihi concedat. Alterum nullo diserto jure innovatum, sed una tantum consuetudine. Alterum, non tantam fuisse mutationem, ut nihil prorsus antiquitatis modo superfit. Nam etsi Simplicium, quæ vocant, Beneficiorum collationem Episcopi sibi vin-

dicarunt, curata tamen non ita Episcopis permissa sunt, ut Capituli inspectionem excludant. Examinatores quippe Synodales rati non sunt, nisi Capitulo probante. Insurgit hic Noster: *Atqui Examinatores illi, qui non sunt de Capitulo, judicium ferunt de Parochiæ collatione, inscio, vel invito Capitulo . . . . Quid, obsecro, collationi Beneficiorum Curatorum cum nuda illa Examinatorum adprobatione?* Multum quidem. Irrita quippe erunt quæcumque Examinatores a Capitulo minime probati tentaverint; ut illa demum adprobatio principium sit, ac caussa quædam efficax, quæ in Actus sequentes influit, in Examinatorum judicium, quod proferunt, in Episcopi Electionem, qua uni ex Adprobatis Parœciale adjudicat Beneficium: quæ omnia sine illa prævia probatione Capituli corruerent omnino. Atque hinc vides, Ecclesiam, etsi de Episcoporum potestate minime dubitat, eam aliquando Presbyterii, sive Capituli consensui alligasse, ne fortasse quis ex arbitrio in ejusdem Ecclesiæ detrimentum ea abuteretur. Potest ergo sine Episcopalis Majestatis injuria (quod tu tanto molimine ad invidiam mihi objiciebas) potestatis usus alieno coerceri arbitrio.

Ruit ergo, quod subjicis: *Pone Episcopum male animatum in illo periculosæ aleæ negotio errare: finge lupum pro Pastore ovibus præpositum, hærebit-ne aliqua in Capitulo labes?* Hærebit sine dubio, nisi probatæ

vir-

virtutis, ac ſcientiæ probaverit Examinatores: illa enim probatio totius negotii princeps cauſſa eſt; eoque conſilio ab Eccleſia præſcribitur, ut huic tam grandi malo obviam iretur. Nam pone Examinatores probos, ſcientiaque præditos, numquam Lupum pro Paſtore Epiſcopo legendum offerent; numquam ergo fieri poterit, ut hac via Lupo ad ovium caulam iter pateſcat. Non ſomnia ergo tibi vendito, ut tu allatras, ſed ipſam veritatem oculis ſubjicio tuis, qui ſi aliquid cernere valent, recte a Gloſſa dictum invenient: *Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus collationem ad Epiſcopum, & Capitulum ſpectare.*

Hoc quidem olim, addis; *at nunc*? Nunc etiam in pleriſque Regni Cathedralibus, ac Neapoli præſertim. Neque enim ego de ſolo Averſano Capitulo diſſerebam. Etſi id in eo etiam obtinuiſſe conjiciebam ex ejuſdem Averſani Capituli conſtitutionibus an. 1603. editis Bernardino Morrha Antiſtite; ibi aurea hæc habetur præceptio: *Quia omnis Dignitas in eorum, qui cooptantur, qualitate nititur, accurate cavendum eſt, ne promiſcue omnes, ſed certi homines cum doctrina, tum morum integritate præſtantes, quoad fieri poterit, deligantur, qui onus ſuſtinere pro dignitate valeant.* In quæ ego: Quid attinebat Capitularibus Conſtitutionibus hoc caput infercire, ſi ad unum Epiſcopum pertineret Canonicorum delectus?

Tu, vir bone, mihi illudi minime ſinis;

edocesque Aversanos numquam Antistites, non dico Canonicorum consilium in novorum optione expetivisse; sed ne scire quidem datum Canonicis, quem in fratrum suorum numerum accipere deberent. Videris, opinor, illos Antistites, uti loqueris, Bernardinum præsertim, quo de sermo est; aut tabularii Capitularis Scripturas scrutatus es omnes, ut quod modo nunc obtinet, idem obtinuisse semper confidentissime affirmes. *Ad quid ergo caput illud membranam occupat? Noveris Episcopum sibimetipsi egregiam dare præceptionem*. Macte, Noster, nunc primo accipimus homines ipsos sibi præcipere, atque id coram aliis; has præceptiones tradere litteris consignatas, ac testes optare illos, quos hæ præceptiones nihil prorsus attingant. Sed recte est, teneo. Ad Parochos Noster (novum profecto vocabulum, signatum præsente nota) EXCITATORIUM scripturus est, sibi Morrha scripsit. Denique non moror, quod ex Aversana Synodo depromit, non posse Canonicos *Sacristam* loco movere, nisi consulto Episcopo; nam & vicissim statuere illum nequit Episcopus inconsulto Capitulo. Hæc illa est mutua agendi ratio. Quod Capitulares Conventus, nisi petita vel ab Episcopo, vel ab ejus Vicario venia, ex eadem Synodo haberi nequeant, nihil prorsus mirari subit. Ad cujusque scilicet Conventus Præsidem illos indicere pertinet, vel ad eum, qui ejusdem vices gerit.

In

In §. X.

CASTIGATIO IX.

1. *Idem recurrit argumentum de Capitulo Universum Clerum exhibente.*
2. *Canonici, etiam Animarum cura abjecta, non desiere esse Episcopi membra.*
3. *Aversano Capitulo obloquitur Noster.*

PAuca admodum hoc §. castiganda occurrunt, cum nempe illud Anonymo insiderit, *Decies repetita placebit*, millies auditam de Parochis cantilenam occentat. Si quid est Scripturarum, si quid Patrum, si quid Conciliorum, si quid Canonum, si quid novissimarum Pontificum Decretalium, ubi quid magnificentius de secundi Ordinis Sacerdotibus prædicatur, id ille unis Parochis adscribit, Parochos ubique agnoscit, ubique intuetur, licet communis sensus, licet Canonistæ omnes ad unum refragentur: una illa sua, quam semper urget, ratione, quod ministerialis Animarum cura illis sit relicta. Ceteri desides sunt, otiosi, fruges consumere nati; inutiles prorsus: frustra in Ecclesiæ agro terram occupant. Et ecce tibi. Novissimo Decretalium jure de Criminalibus caussis Episcopi cognoscere vetantur, nisi *coram Ecclesiæ Senioribus*. Cap. Quanto, ac Qualiter de Accusat. Cap. licet Heli de Sim. 21. Fratres in consilium adhibendos statuit

Alexander III. in de Institutionibus, ac destitutionibus; hos membra esse, quæ sub uno Capite Episcopo Corpus unum Ecclesiæ compingunt. Cap. Quanto de his, &c. Hos, qui memorantur, minime Canonicos esse, obtendit Noster: *cum tunc omnino ignota Canonicorum, prout hodie accipitur, esset conditio*. At meminerit Magister meus, Alexandri III. atque Innocentii III. ætate, Canonicos, prout a Parochis distinguuntur, tales omnino fuisse, quales modo sunt, nulla in re diversos. Si ad tempora respiciat Magni Gregorii, qui idem prorsus statuit lib. 2. epist. 49., ac laudati duo Pontifices ævo posteriores, confiteor rem fuisse totius Presbyterii; sed in hujus jura non alii, nisi Canonici successere, quos falsissime recens institutos deblaterat Noster. Res est Canonicæ rei peritis compertissima; & his laudatis Decretalibus disertissime evincitur. Nam quos Seniores appellat Gregorius, Canonicos dicunt hi posteriores Pontifices. Omnium primus Noster, quid dicam? confidentissime negat. Atqui id me *noluisse advertere* queritur Anonymus; *neque me umquam demonstrasse, quomodo tanto post tempore exorti, quales videmus, Canonici possint ad se trahere, quæ de illis* (Parochis) *dicta fuere*. Sed illi demonstrandum potius fuisset, tanto post tempore exortos fuisse Canonicos, quales modo videmus: horum institutionis tempora designanda erant, indicandus institutor, quid muneris illis in Ec-
cle-

clesia datum, quisve locus attributus. Jamdudum id expectabam, totum Opus anxius percurri, evolvi, revolvi: nihil tamen ejusmodi occurrit: sæpissime idem ingeminat, quin tamen id probet. Ego contra productis testibus Canonistarum antesignanis, Thomassino imprimis, ac Fagnano, edocui primo, Capitulum Cathedrale generatim non modo exhibere, sed esse illud ipsum vetustorum temporum Presbyterium; illius jura legitime nactum esse: deinde ad rem præsentem Seniores, Fratres, membra, de quibus in laudatis Constitutionibus, Canonicos esse; eo judicandi jure satis diu potitos; nec nisi sensim discessum; nulla demum Lege indicente e Tribunali depulsos.

Pessime ergo infert Noster, cerebro confingente suo, *Canonicos, ex quo desierunt esse Curatos, non amplius habendos, quoad Ecclesiasticum regimen, Episcopi membra*. Docere oportebat, unde id demum acceperit; Legem aliquam, Canonistam unum saltem producere, qui sibi adstipuletur. Sed unus ipse instar omnium est. Magister, Doctor, Legislator. *Monstrum me obtrudere* affirmat, *dum Canonicatum contendo, simplex utique Beneficium, ut me fateri ait, præstare Curato*. Duplex hic mendacium; & quod Canonicatum simplex Beneficium dixerim, & quod Canonicum Curato dixerim præstare. Nam non ego in re Canonica adeo peregrinus, ut Canonicatus ignoraverim Dignitatibus, aut quasi Dignitatibus

accenseri. Alterum vero nusquam a me assertum reperiet, qui nullam utroique inter Canonicos, ac Parochos (rem odiosissimam) comparationem instituendam censui. *Difficile est satyram non scribere*. Creditur; nam si nullo lacessente id soles, quid ubi te in Parochis violatum existimas?

Sed Tribunali, ut illuc revertamur, proturbati sunt Canonici. Ita sane. Sed id factum ait Fagnanus, forte quod propter ignorantiam Canonicorum Episcopi contra eos præscripserint. Non fert Anonymus *lenitatem* mei Fagnano parcentis, nec unum pro Canonicis verbum facientis. *Ego*, inquit, *cum maximi habeam Canonicos nostros, omnique honore dignos existimem, Fagnanum sic impune dimittendum non arbitror*. Ergo tu, patronorum disertissime, Canonicorum caussam age. Oneri libenter succedit ipse, nec ignorantiæ Canonicorum, sed paupertati potius, & consanguineorum tenacitati tribuit, qui oculum sibi potius erui, quam nummulum sibi ex corbona extrahi patiuntur. Uno verbo, litem Episcopis intentare Canonicos oportebat, auri vim profundere, ne jure caderent suo. Optimum consilium, & Evangelicis accomodatum institutis, Ecclesiastici Ordinis hominibus apprime congruens. Nisi quod statim, ne fortasse doli mali arguatur, consilium revocat. *Si verum amamus*, subdit, *nullam justæ querimoniæ caussam despoliatum Presbyterium afferre posse, nec clamare illiberaliter secum actum*.

Hui!

Hui! ne illiberaliter quidem? ergo urbanissime, ac benignissime. *Quid enim aliud Episcopi fecerunt, nisi rivulum illum auctoritatis, qui in memoratos Presbyteros excurrebat, ad fontem suum, Episcopalis scilicet plenitudinem potestatis, revocare?* Ergo inutile prorsus mansit secundi Ordinis Sacerdotium, ubi rivulus ille auctoritatis, qui in memoratos excurrerat Presbyteros, ad fontem suum per Episcopos revocatus est. Et potuerunt Episcopi Ordinem a Christo institutum inutilem reddere? Et potuerunt Summis Pontificibus, ac Conciliorum Canonibus obluctari, qui ut rivulus iste in Presbyteros libere excurreret, præceperunt? *cum constet, gratis jura illa in Presbyteros ab Episcopis collata.* Gratisne ab Episcopis collatum dices, quod Ecclesia jubente collatum est? *Quæ justa deinde urgente ratione necessitas ipsa auferri non suaserit modo, sed & coegerit.* Sed quam tu urgentem aut rationem, aut necessitatem obtrudes, ut jura hæc a toto Presbyterio in unum hominem (Generalem nempe Vicarium) transferrentur? Nonne plus vident oculi, quam oculus? Confitere ergo, hic nonnisi sensim, & una agente præscriptione pugnatum esse.

Ridiculum denique, & a ratione, & a veritate alienum, quod sic comparatum sit cum Aversano Capitulo, *ut nulla possint ratione contra Episcopum quomodolibet insanientem hiscere Canonici; & id se infra demonstraturum evidentissime pollicetur.* Qui de-

demonstrabit tandem, servorum conditionem Aversano ex Constitutione sua Capitulo impositam esse, ut, quæ ad Rom. Cathedram toti Orbi ab ipsis Evangelii initiis semper appellatio, ac perfugium patuit, huic soli ex sui structura interclusa sit Capitulo? Ubi demonstraverit, ostendemus fortasse, non fuisse, ut ait, evidentissime demonstratum.

In §. XI.

CASTIGATIO X.

Tridentinum ab Anonymo contra Canonicos pro Parochis prolatum illis non incommodat; his in caussa, de qua agitur, minime favet.

MEntis deliquium passus erat Anonymus, dum *me audiret deplorantem Canonicos de Tribunali deturbatos*; ac tale deliquium, *ut ferme eum efficeret suæ caussæ desertorem.* Calamitatem amici dolerem, nisi statim se collegisset, atque animam recepisset. Ad se igitur reversus *id curat imprimis, ne injuriosus, & blasphemus audiat.* Attendamus, qua cura tam grandia a se depellat crimina.

Ergo sepositis consuetudinibus, ac Synodorum statutis, *Canonicorum caussam ad S. C. Tridentini normam exigere statuit.* Non defugimus tam venerabilem auctoritatem. Justum profecto Judicium, æqua postulatio.

Ver-

Verbis ipsis suis & nos plaudimus. *Ecquis enim opinabitur Ecclesiam se injuste gessisse? Innoxios spoliasse?* At Ecclesia Presbyterium numquam expoliavit. Cum Presbyterium appello, Canonicos intelligi volo, qui illi successere. Consuetudo, præscriptio spoliavit aliquo jure, veluti in judicandi accidit consortio. Concilium eo loci invenit Canonicos, eo reliquit. *Video interim pientissimam Matrem totam in Canonicorum correptionem incubuisse. Altum de Parochis silentium: evidentissimum argumentum, non ab his, sed ab illis peccatum.* Nimis impudenter Lectori imponit Noster, cum Canonicorum correptionem memorat. Unum id egit Tridentinum, ut effusiores quorumdam Capitulorum Exemptiones justis coerceret limitibus, quin tamen eas funditus eruerit. Nam cum Episcopale omnino imperium excussissent, quod nimium ab Ecclesiæ Ordine abhorrebat, in potioribus capitibus ad officium redegit. Hoc ipsum porro vitium satis ostendit, tanta Canonicos eo temporis auctoritate potitos, ut ea abusi eo evaserint, ut Episcopalem declinare potuerint auctoritatem; ut nonnisi imperite dicat Noster, *Canonicos numquam talibus juribus præditos fuisse*. Facillimum quippe, ut qui communi consortio cum Episcopo Ecclesiam administrarunt, Episcopum a communione excluserint. Atque id evidentissimo argumento est, Parochos, ut hodie sunt, nullas hic partes habuisse, neque ullam affectare Exem-

ptio-

ptionem potuisse. Quod ergo hic minime peccarint, non Parochorum laudi, sed necessitati omnino tribuendum duco.

Quoniam nulla constare diu, nec recte procedere Societas potest, nisi Capite sit instructa tantæ auctoritatis, ut vitia compescere, ac contumaces ad officium cogere valeat: Capitula vero hujusmodi non sunt; neque enim eorum Præsides, quocumque demum nomine appellentur, supra ceteros Canonicos satis multo eminent; necessarium Tridentinis Patribus visum est, eorum Exemtionibus decurtatis, Episcopis ea multis saltem in capitibus obnoxia facere. Quod sane in Regularibus contra accidit: nimirum cum voto obedientiæ suis Præpositis obstringantur, satis hisce auctoritatis inest ad illos in Ordine continendos. Factum est hinc, ut Regularium Exemptiones, paucis admodum Episcopis servatis, intactas ferme Tridentinum reliquerit. Immo vero primi Ordinis Exemptiones, quas Canonistæ vocant, quasque in Diœcesibus *Nullius* primæ speciei cum jurisdictione quasi Episcopali conspicere est; integræ a Tridentino conservatæ sunt, quales antea obtinebant. Has porro Exemtiones omnimodas Capitulis etiam nonnullis convenire posse, late demonstrat Benedictus XIV. in aureo Opere de Synodo Diœces. Hæc ideo latius deduxi, ut innotesceret, non recte a Nostro affirmatum esse, Tridentinos Patres in Canonicorum Correptionem incubuisse. Non enim in Canoni-

cos

cos animadvertendum ſuscepit; ſed Capitulorum Exemptorum regimen reformandum, ſicubi emendatione opus fuiſſet, ſuſcepit.

Accipiamus modo Eccleſiæ ſenſum de Canonicis. Sed turbavit hic Noſter, temere ne, an de induſtria, non habeo certùm dicere. Ergo ordinis gratia diſtinguendum eſt inter Capitula non exemta, & exemta, inter Viſitationem, & Judicium inſtituendum. De Viſitatione ſermo eſt in Cap. 3. & 4. Seſſ. 6. de Reform. Præſcribitur Cap. 3. uti poſſint Epiſcopi viſitare, punire, ac corrigere Clericos omnes ſive Sæculares, ſive Regulares extra Monaſterium degentes, ſi deliquerint; illos Ordinaria, hos delegata auctoritate. Nihil hic inſolitum: omnes enim Clerici ſubſunt Epiſcopali jurisdictioni, ſin minus nativæ, ſaltem delegatæ. Statuitur Cap. 4. uti Capitula ipſa Cathedralia Exemta ab eiſdem Epiſcopis, eadem delegata auctoritate, poſſint viſitari, corrigi, & emendari, quoties opus fuerit, *per ſeipſos ſolos, vel illis, qui ſibi videbuntur, adjunctis*. Nullum hic olfacit Noſter *Capituli, vel Seniorum, quicumque ſint illi, ne remotum quidem influxum*. Quid mirum? De Viſitatione agitur, non de Judicio. Quamobrem nequit Epiſcopus hac occaſione aliqua ordinaria, ut loquuntur, plectere pœna: finis quippe Viſitationis potius emendatio eſt, quam punitio. Congreg. Concil. apud Gallemart. in laudato capite. Quid quod ego hic Capitulum, ac Canonicos non modo olfacio, ſed & ocu-

lis

lis cerno? Etsi enim liberum est Episcopo ministros sibi Visitationis unde unde adsciscere; non sibi tamen ex Parochis, sed ex Canonicis advocat, ut hinc videas antiquam illam Presbyterii cum Episcopo conjunctionem ipsa natura duce sponte sua recurrere etiam ubi nulla urget præcepti necessitas. Denique de Judicio instituendo agitur Sess. 25. de Reform. cap. 6. Decernitur ibi, ut cum extra Visitationem in Capitula exemta processerit Episcopus, Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex gremio *duos*, de quorum *consilio*, & *assensu Episcopus*, *vel ejus Vicarius tam in formando processu, quam in ceteris omnibus actis usque ad finem caussæ inclusive ... procedere teneatur*. Vides certe hic Canonicos, ubi agitur de instituendo judicio. Non ergo omnino a judicando Canonici repulsi sunt. Nihil umquam de Parochis hujusmodi aliquid. At dices: id demum in Capitulis Exemtis obtinet. Sed dixi jam ex Fagnano, in reliquis non Exemtis, præscriptione Episcopos Tribunali Canonicos exclusisse.

Futile porro est, quod ex cap. 4. de Reform. ibidem advocat, nimirum ubi Missæ sunt ob nimium numerum ad pauciores redigendæ, traditur Episcopis facultas id agendi in Synodo Diœcesana. Simile est, quod edicitur ibibem ses. 25. de Refor. cap. 10. designandos a Synodo Judices, quibus a Sede Apostolica caussæ delegentur. Futile, inquam. Nam si in Synodo hæc demum ex-

expedienda sunt , quomodo inde Canonicos excludas , qui tantam in Synodis partem habent? Immo illud etiam ; ſi aliquis ex his Delegatis Judicibus moriatur, ſubſtituet Ordinarius loci *cum conſilio Capituli* alium in ejus locum. At videbantur, ait, omnino Judices conſtituendi Canonici. Atqui Canonici ad id muneris conſtituuntur jubente Bonifacio VIII. cap. Statutum in 6. de Reſcr. quam Conſtitutionem diſerte confirmat Tridentinum. *Sancimus*, ait Pontifex, *ut nullis, niſi Dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſſæ auctoritate litterarum Apoſtolicarum . . . . committantur*. Ecce tibi duo hic: primum Canonicis hujusmodi cauſſas delegatas; alterum Canonicos Dignitatibus accenſeri.

Si futilia hæc, futiliſſimum illud aliud, quod coronidis loco ex cap. 4. cit. ſeſſ. 25. adtexitur, *quamque triſtem Canonicis lectionem* nuncupat Anonymus: nimirum eo capite de Capitulis exemtis ſtatuta minime obtinere *in iis Eccleſiis, in quibus Epiſcopi, & eorum Vicarii ex Conſtitutionibus, ſive privilegiis, ſive conſuetudinibus, vel concordiis majorem habent poteſtatem, auctoritatem, aut juriſdictionem*. Nam ſi titulis hujuſmodi enunciatis ipſa præſcribi poteſt Epiſcopalis jurisdictio, quid mirum ſi Capitulorum & ipſa præſcribatur jurisdictio?

Exultat porro Noſter in cap. XII. ejuſdem ſeſſ. *quod omnem exſuperare fidem exclamat*.

Agi-

Agitur toto eo capite de Decimarum solutione, quam Deo debitam esse decernit. Præcipit ergo primo, *ut decimæ* solvantur *Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur*. En Cathedralem primo loco memoratam; deinde quæcumque aliæ memorantur Ecclesiæ (non Cathedrales, non Parœciales modo) quæcumque aliæ personæ, quibus legitime debentur. Norunt Canonistæ, quot aliis personis, quibusve aliis titulis debeantur. Integer hic Tractatus conscribendus esset, si rem vellemus exhaurire. Addit deinde Concilium, in quo quæsitam meritis superbiam sumit Noster; *ne* scilicet *graventur Fideles, Episcopis, ac Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam*. In quæ ille: *At ubi Canonici?* In decimis, quæ Cathedrali debentur. *Prætermittuntur, ut non necessarii*. Anonymi fronte ad hæc efferenda opus erat. *Uno ordine Episcopi, & Parochi censentur*. At Canonici in Episcopo, cujus sunt membra nativa. Ipsi etiam Pastores, ac præsunt: hinc eorum dignitatem tueri debent populi.

Quod autem maculam non modicam Canonicorum splendori offusam cernat laudato Capite 4. cit. sess. quod in concubinarios Clericos cognitio *non ad Decanos, non ad Archidiaconos, sed ad Episcopum pertineat*. Quis non videat, si macula aliqua Archidiaconis, aut Decanis pristina abdicatis aucto-

ri-

ritate affundatur; nihil in integrum Capitulum labis refundi, quandoquidem duo ex Canonicis a Capitulo defignandi ad Tribunal ac Judicium una cum Epifcopo evehuntur.

Rem totam concludit Nofter in Parochorum suorum laudes effusus. *Integra*, inquit, *funt his, quæcumque Chriftus ipfe in Difcipulorum tribuit perfonis*. Hæc tamen, quatenus a Chrifto proficifcuntur, Sacerdotibus omnibus æque ac Parochis funt communia. *Obiter* demum *advertit* (*quod non infimam Parochorum laudationis partem vocat*) *quod cum pientiffimi pofteriorum fæculorum Scriptores* (cum nullum produxerit, aut mendacium, aut amplificationem suspicor) *concordibus animis in Canonicorum defidiam, fuperbiam, avaritiam insurgunt, & vel leni, & lamentabili, vel acri, & concitato ftylo maxima ex non omnino integra Canonicorum vivendi ratione in Chriftianas Plebes emergentia mala commemorent: altum illis eft de Parochis filentium: argumentum evidentiffimum pulcherrime his operam fuam ftetiffe, eosque pro virili muneri fuo adlaboraffe*. Parum abeft, quin αποθεωσιν Parochis decernat. Atqui in tanta Parochorum integritate, Canonicos plurimos Divorum Albis infertos Religiofo profequimur cultu; Parochorum vero nefcio, utrum aliquem in Sanctorum faftis reperire fit. Ceterum, fi vera funt, quæ in Canonicorum Collegia ex pientiffimis illis fuis evomit Anonymus, meminiffe oportebat, & in Pontifices, & in Episcopos, & in Cle-

 rum

rum universum, tam sæcularem, quam Regularem declamatum, sæculo præsertim XI. vitiorum omnium fœce, Simonia præsertim, atque incontinentia redundante. Soli-ne ex hac colluvie peculiari Gratiæ beneficio immunes Parochi? Videat Ipse; nam nihil id ad rem præsentem.

In §. XII.

CASTIGATIO XI.

1. *Gerson vindicatus.*
2. *Traditur tertio Presbyterii nota genuina.*
3. *Imperitis imponit Anonymus, dum Tridentini auctoritatem profert, iis suppressis, quæ Canonicis favent.*

LUsit hactenus Noster, nunc mecum in gratiam redire velle significat. Timeo Danaos, & dona ferentes. Primum ergo (quod reconciliatæ gratiæ argumentum est) ex Gersone me impetit. Hic igitur, licet jus suffragii decisivi in Conciliis minoribus etiam Prælatis asserat, quales sunt Curati, & Hierarchæ, sic tamen suam sententiam egregie temperat: *dicamus postremo, quod licet ea, quæ statim dicta sunt, consonare videantur Juri divino, & observationi priorum Conciliorum, & rationi, nihilominus Concilium potest certis de caussis, & ad tempus constituere voces definitivas in pluribus, vel pau-*

cio-

tioribus. In Gersonem prius censuram exerit Anonymus: *Gersonis doctrina*, inquit, *sibi non cohæret: si enim Juri divino, & observationi priorum Conciliorum consonum sit, Presbyteros ea prærogativa gaudere, quomodo illa poterunt per Concilia spoliari? Quæ enim caussa tam justa, & efficax esse poterit, quæ jus divinum, constantem universalis Ecclesiæ usum, & ipsam rationem abrumpat, perdat, evertat?* Sed Gersonis mentem assecutus non est Noster. Duo quippe habent hi Prælati Minores, alterum a Jure divino, ab Ecclesiastico alterum. A Jure Divino characterem, eique facultatem docendi, prædicandi, præeundi inhærentem: *Oportet enim Presbyterum prædicare, præesse*; facultatem tamen Episcopis, & Ecclesiæ obnoxiam; sunt quippe vi Ordinis sui Episcopis in adjutorium regendis, pascendisque Populis dati; En Jus humanum Ecclesiasticum. Non libere quippe, atque ανυπευθυνως prædicabunt, docebunt, sed quoties expedire videbitur Episcopis, & Ecclesiæ: sunt enim secundi Ordinis Sacerdotes. Probe ergo cohæret hanc facultatem esse a jure divino, & ab Ecclesiastico; ac Concilium posse ad tempus, certisque de caussis voces definitivas constituere in pluribus, vel paucioribus. Ipsi porro Anonymo probandum superest, per quod Concilium ea facultate spoliati sint Presbyteri, cum potius idem constans Ecclesiæ universalis usus ad Synodos Presbyteros benigne accipiendi ad Conciliorum postremum Tridentinum obtinuerit.

Sed jam ad me profligato Gersone progreditur. *Asseris* (adversa fronte concurrit) inquit, *Curatos esse Prælatos Minores. Dicis, quod erant olim tales omnes Presbyteri. Ergo Presbyterium soli conflabant Curati.* Logicus, qualis ego a Nostro non habeor, sic distingueret: Presbyterium soli conflabant Curati, eo scilicet temporis articulo, de quo sermo, & conflabant, non quatenus Curati, sed quatenus unum cum Episcopo corpus constituebant, concedo: alias, nego. Ergo ea ætate, qua animarum cura Presbyterio hærebat, non eo quis de Presbyterio erat, quod Animarum curam substineret (alias & Presbyteros Agrestes Animarum Curatores de Presbyterio esse oportuisset); sed una illa sæpius memorata, numquam satis intellecta ratione, quod in unum corpus cum Episcopo Capite coalesceret. Cum igitur pro Presbyterio pugno, aliud certe ago; neque pro Parochis arma fero; non enim ad Presbyterii naturam Animarum pertinet cura; cura inquam ministerialis abscissim sumpta. *Novum, & adscitum Canonicorum genus fuit.* Semper ad ingenium redit. Id probandum erat. Discordiæ, & ambitionis Canonici extulere vexillum. Esto; quid id ad rem? *Animarum curam abjicientes ad ovium se conditionem demisere.* Ergo ad ovium etiam conditionem ipsi se Episcopi abjecerunt, cum curam illam ministerialem, quæ in solis hæsit Parochis, abjecerunt?

Ad Synodos jam accessurus Anonymus, ne

ne nimis jejune rem tractasse videretur (petitur inde enim decretorium argumentum) multa se supra præoccupasse præmonet. Quo tamen exitu, Lectoris erit decernere, ut mihi videtur, satis inauspicato. Urgebam ego Presbyterorum (quibus modo succedunt Canonici) in Conciliis sive Provincialibus, sive Diœcesanis subscriptiones, quas affert Benedictus XIV. longo edito Synodorum catalogo. *Verum*, ait ipse, *Exorcistæ subscripti hæc non eo, quo vult Theologus Noster, sensu accipienda luculentissime indicant*. Accipiamus ergo quo sensu vult Anonymus, plausus nempe, & testificationis. Ergo Episcopi subscripti ipsi etiam & plaudunt, & testificantur. Ceterum id constantissimum est, ut Synodis Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi subscribant: hi ergo ex auctoritate, licet dispari, subscribunt, atque ex jure suffragii: alii non item, sed alia, qua malis, ratione. Nam si jure suffragii ab iis inferioribus Clericis subscriptum esset, id semper, & ubique obtinuisset. *Quando autem negavimus*, subdit, *Presbyteros vel habere, vel umquam habuisse jus suffragii decisivi in Controversiis Fidei, non venit nobis in mentem, jus illud idcirco denegandum Presbyteris, ne in Aërii insaniam declinemus. Hoc neque diximus, neque dicemus*. Atqui idem mutato nomine dixisti. Quoties enim mihi, ut Jansenistarum fautori (quorum insania nihil omnino ab Aërio distat) ex Piana Bulla negotium facessisti, cum illud jus Presbyteris assererem,

etsi ego potestatem illam Presbyteris Orthodoxo maxime sensu adjudicavi; dic, ergo, sodes, cur demum hac facultate Presbyteros abdicas? Id ex eo arcessivimus, quia soli Apostoli, quorum vices modo (modo ergo, non olim) Episcopi gerunt, Fidei testes positi fuerunt. Unde, amabo, id accepisti? Ego certe ex Act. I. oppositum didici: omnibus enim & Apostolis, & Discipulis ad Domini in Cœlum ascensum convenientibus Dominus ait: *Et eritis mihi testes in Hierusalem, ac Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Discipulorum porro Successores Presbyteri. Sed tu ipse statim id confiteris. *Hi* (Apostoli) *proprie, & primario sub Summo Hierarcha ad regendam Ecclesiam a Spiritu Sancto admoti fuerunt.* Ergo & alii secundo ordine, ac loco. Hi vero qui, nisi Presbyteri?

Id porro concedit Noster, sed hisce tantum Animarum Curatoribus in Synodis locum tributum vellet, præterea nemini. Id quidem ex Tridentino sibi videtur evincere sess. XIV. de Reform. cap. 2. ubi omnes Animarum curam habentes Diœcesanis Synodis adesse cogit, *quia Animarum curam habent.* Non legerat autem ibidem omnes ad Synodos convocandos, qui *de jure, vel de consuetudine* interesse tenentur. Ex his, bone, qua fronte Canonicos expunges, qui etiam, ut sunt modo, Animarum onere levati, sunt adhuc Episcoporum Senatus? Quid quod ad Synodos Provinciales non Parochis, sed unis

Ca-

Canonicis patet accessus. Levitatis ergo accusandus est Noster, cum Capitula illa asserit, quæ ad Synodos vocata commemorantur, animarum curam adnexam habuisse: Id quippe ex ingenio confingit suo.

Sed illud intolerabile prorsus, *quod si sublimia, & splendida Canonicis tribuuntur tum in vetustioribus, tum in ipso Tridentino, ut si Doctores audis, Magistros in Theologia, Licentiatos in Jure Canonico, id totum autumat Curæ Animarum Canonicatibus adhærescenti tribuendum*. Inauditum opinionis portentum ipsi tribuit Tridentino sess. XXIV. de Reform. cap. 12. Putabat Noster, omnia post scriptionem suam Concilii exemplaria disperitura, ne posset impudentis mendacii coargui, aut saltem incuriosum Lectorem in sua juraturum verba, quin attentius Concilii textum expenderet. Ergo, ut hominis confidentia, aut in producendis, pensitandisque testimoniis oscitantia appareat, Concilii doctrinam, qualis ibi prostat, Lectorum oculis subjicio. Distinguit ergo ibi inter Dignitates, quibus Animarum cura subest, & eas, quæ hujusmodi oneris sunt expertes. Distinguit iterum inter eas, quæ in Cathedrali, & eas, quæ alibi erectæ sunt. De prioribus, sive in Cathedralibus, sive alio loco constitutis hæc habet: *Cum Dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamque disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo*

essent, atque Episcopos opere, & officio juvarent . . . . Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascumque, quibus Animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suæ etatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur. Nulla hic graduum mentio, non Doctores certe in Theologia, vel Jure Canonico audis, non Licentiatos; doctrina tantum, quæ exequendo muneri suo respondeat, exposcitur; ea scilicet, quæ in quolibet Parocho Animarum curæ récte gerendæ desideratur. Pergit porro ad ceteras Dignitates, vel Personatus, quibus Animarum cura non subest; ac primo ad eas, quæ extra Cathedralem sunt erectæ. De his ait: *Clerici, alioquin idonei, & XXII. annis non minores adsciscantur.* Quam ridicule in hæc verba commentatur Noster: *Non postularem quid amplius ab illis, qui essent minoribus Ordinibus initiandi.* Perinde ac si adjectivum *idoneus* diversis subjectis appositum idem omnino sonaret, nec immensum distaret inter idoneum Magistrum, ac Discipulum, idoneum militem, ac Imperatorem, idoneum Canonicum, ac Parochum.

Succedunt tertio loco Dignitates, nulla Animarum cura oneratæ (nam de hisce in principio capitis sermo fuerat), verum in Cathedralibus constitutæ, ac Canonicatus universi. De his ergo Concilium: *hortatur etiam S. Synodus, ut in Provinciis, ubi id*

com-

commode fieri potest, *DIGNITATES OMNES*, *ET SALTEM DIMIDIA PARS Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico*. Quæ sicuti luculentissima sunt, sic mirabilem Nostri confidentiam, ne dicam amplius, ostendunt, dum hæc Tridentini verba ad Canonicatus Animarum curæ obnoxios mendacissime detorquet; ut illum revera nihil pudeat omnino. Quorsum vero hæc tam sublimia, tam splendida, tam magnifica de Dignitatibus, de Canonicatibus præsertim Cathedralibus, nisi quia, etiam modo, cura ministeriali abjecta, Episcopi Senatus, cui opera, & consilio præsto esse oportet, pergunt esse, ut paullo post disertissime citato loco confirmat Trident. *Ut merito Ecclesiæ Senatus dici possint*. Rem concludamus aureis verbis egregii Canonistæ, doctissimique Viri Æmilii Gentile in superius laudata Italica Dissertatione, qui Tridentinæ concinens doctrinæ hæc habet. *I Sagri Canoni vogliono perciò nel Capitolo della Cattedrale una maggiore scienza, e tale, che col consiglio, e coll' opera possano ajutare il Vescovo nel governo di tutta la Diocesi, non di qualche Chiesa particolare: chiamato perciò Senato della Chiesa, che forma la parte principale di tutto il Clero, ed in certo modo rappresenta tutto il Clero di tutta la Diocesi, al dire de' più dotti Scrittori*.

In

In §. XIII.

CASTIGATIO XII.

Palmarium pro Canonicis argumentum ex Jurisdictione petitum in Capitulum post Episcopi fatum recidente, incassum elevare nititur Noster futilibus cavillationibus.

SI qua probatio, si quid argumenti est, si qua demonstratio, ut ostendatur, Canonicos, non Parochos in unum cum Episcopo corpus coalescere, illud est, quod Episcopo rebus humanis exempto, in Capitulum tota ejus potestas, ac jurisdictio, nativo quodam jure, ut ait Card. de Luca alibi laudatus, convertatur. Id enimvero tam momentosum nostratibus quibusdam, iisdemque acutissimi ingenii Theologis visum est, ut quomodo hinc Noster se posset demum expedire, ignorare se prorsus confiterentur. Sed aliud curent hi doctissimi homines. Nihil Nostro difficile est. Nam quid facilius, quam verborum profluvio Lectorem opprimere, defatigare, alio avertere, vel extenuando, vel amplificando, tenebras lucem, ac vicissim lucem tenebras ostendere? Hæ sunt consuetæ artes Anonymi, ad qnas, ubi desperatum videt, solet confugere. Adversus hasce nunc hominis machinationes confligendum est.

Ac principio quidem, quoniam factum ne-

negare non est, illud extenuare nititur. *Sciscitatur* ergo, *an Sede vacante Canonici possint in communi Ecclesiam regere?* Id utique ego assero: nam si olim in vivis agente Episcopo jus erat Presbyterio Ecclesiam regere, si etiam modo ad regimen Ecclesiæ Capitulum ab Episcopo advocatur; cur id non liceat, ubi eo defuncto rerum summa ad solum Capitulum devolvitur. At enim *districtissime cautum est quantocius Vicarium eligendum*. Sed id non eo spectat, ut uno electo Vicario, omni se Capitulum abdicet auctoritate, quam in illum conferat; sed ut citius, ordinatiusque per unum fiant, quæ nonnisi tardiuscule, ac perturbatius per plures expedirentur. Idque cum ipsa ratione suadente, consuetudine primum ubique receptum esset, Tridentina demum sanctione in Legem abiit. Audiatur sæpe laudatus Episcopus Allifanus (neque enim disertius, elegantiusque res a me posset explicari): *La Prefettura del Capitolo non cessa coll' elezione del Vicario Capitolare dopo la morte del Vescovo prescritta dalle regole della Chiesa per il buon governo della Diocesi, onde vi fosse uno, che facesse da Capo, come lo era il Vescovo, e potesse accorrere a' casi inopinati, ed urgenti, a' quali l' intero Corpo non può accorrere. Del resto il Capitolo, che prima esercitava la giurisdizione in comune, creato il Vicario Capitolare, non può spogliarsi della sollecitudine, che deve avere per la Chiesa, e ritiene presso di se radicalmente la giurisdizio-*

ſdizione, giuſta l'eſpreſſione de' Canoniſti, comunicando al Vicario della giuriſdizione l'eſercizio ſolamente. Queſte ſon coſe trite a quelli, che per poco ſon verſati nelle materie Eccleſiaſtiche.

Et quidem, etiam Vicario electo, auctoritate ſe ſua Capitulum minime ſpoliaſſe, ſed in ea re primas partes agere, id enimvero ex pluribus Decretis conſtat a S. Congregatione Concilii editis. Nonnulla hic damus. Primo Congregatio cenſuit Capitulum ad libitum poſſe amovere Vicarium, alias per ipſum electum, ac confirmatum, tenerique intra octo dies alium conſtituere. S. C. C. 28. Aprilis 1594. apud Gallemart. Eſt-ne id argumentum, *Canonicos Vicario proclamato nihil moliri poſſe*? An non potius hic sese Capituli auctoritas in Vicarium ipsum mirifice commendat? Capitulum, Sede vacante, poteſt eligere Arbitros ad cognoscendum de cauſſis suspicionum, quæ contra Vicarium ab eo Sede vacante deputatum proponuntur, eo modo, quo Episcopus potuiſſet. Apud eumdem Gallemart. Nonne, quæso, id eſt in Vicarium ipsum quamdam veluti jurisdictionem exercere, in quem suspicione laborantem Arbitri dantur? Adhuc luculentius. Fuit dubitatum, an ſi iſte Vicarius allegaretur ſuſpectus, poſſint eligi Arbitri? (ab aliis, quam a Capitulo.) Et reſolutum fuit die ultima Martii 1588. ſed recurrendum eſſe ad Capitulum, tamquam ad Superiorem. Apud eumdem. Quid disertius

pro

pro Capituli auctoritate contra Vicarium ipſum aſſerenda? Item Capitulum, Sede vacante, poteſt facta mentione Vicarii, vel aliorum Officialium illos cogere ad reddendam rationem adminiſtrationis, eosque pro culpa punire. Apud eumdem. I nunc, & Capitulum nega, ſi potes, *conſtituto jam Vicario, procurationi Eccleſiæ aliqua ex parte ſe poſſe immiſcere*. Non credidiſſem tam jejunum Anonymum Canonicæ diſciplinæ, ut quæ nec tyronibus latent, prorsus ignoret.

Quæ cum ita sese habeant, uno impetu corruunt, quæ nimis frigide Noſter obgannit. Nam quid officit demum, ſive de gremio, ſive extra Vicarius Capitularis conquiratur, quando præcipua jurisdictionis pars in Capitulo perseverat inalienabilis? Etſi, quod alienus eligatur, nonne id in Capituli eſt poteſtate, ut nulla vi ad hoc adigatur? Jurisdictionem ergo suam Capitulum, in quem collibuerit, derivat, quin ea tamen ipſum plane exuatur: partem quippe eminenter retinet adhuc electo hujus Miniſtro, partem radicaliter, ut loqui amant. Sed id displicet Noſtro: *Hoc profecto*, ait, *auditu magnum quid ſonare videtur*; *ſed ſi ad rationis lancem expendas, meras nugas deprehendas*. Itane meras nugas? Ergo nugas nobis obtrudunt optimæ notæ Canoniſtæ; nominisque magni umbra nobis ludificantur? Sed cur, bone vir? *Sciſcitor, quid illa radicalis juridictio? Erumpet ne in actum? Scilicet in hunc unum, ut ad electionem concurrat*. Non in hunc

unum,

unum, sed in plerosque ; ut paulo superius edocui; in illum præcipue, ut electum possit abdicare, aliumque sufficere ; quo nihil præclarius, ut ostendatur Capitulo jurisdictionis partem hærere. *Poloni*, pergit, *sibi Regem constituebant. Populus a se* (Romanus certe, nam potestas Regia a Deo ceteroquin est) *in Regem jus omne transferebat. Regalium omnium dominium radicaliter erat in quovis de Plebe ipsa.* At ego diserte nego in plebe eligente Regalium dominium fuisse. Nudum plebs eligendi ministerium præstabat, quin aliquid ipsi post electionem potestatis adhæresceret, quam nec prius habuerat. Norunt quippe harum rerum Tractatores etiam in Regnis Electivis, ut ajunt, in Electum a Deo potestatem derivari, hominum eligentium ministerio. At Capitulum & jurisdictione ante electionem potiebatur, eaque perfecta, potiri pergit; nam & collatam aufert, & in quem voluerit, iterum confert.

Quid nunc porro ineptiis Anonymi Lectorem distineo. veluti, cum asserit Vicarii Capitularis Electionem totius Cleri fuisse provinciam; tum ne moræ necterentur, ac facilem exitum tantum negotium inveniret, ad Capitulum esse deventum, idcirco, quia Capitulum facile posset in unum cogi ; perinde ac si Urbani Parochi, in quibus unis verum Presbyterium, exclusis hodiernis Canonicis, agnoscit, non æque facile cogi potuerint. Proh nefas! potueruntne Urbani

Pa-

Parochi, homines uni e Presbyterio, id contumeliose accipere? & a quibus, bone Deus! ab hominibus desidiosis, inutilibus, quibus nihil aliud negotii in Ecclesia datum est, nisi ut cantui mancipati sint, qui nihil omnino a Franciscanis, & Recollectis distant? Jure ergo indignatur Noster *Parochorum hujusmodi supinam simplicitatem, qui tam patienter, ne dicam stulte; nullam sui rationem in tanta re* (atqui rem hanc tanto superius extenuavit, ut Canonicos cum vili plebecula comparaverit) *haberi passi sunt, quando, & ubi Canonici Animarum Curam abjecere*. O factum indigne! Nisi quod, nescit Noster Parochis suis diu indignari: illos statim excusat. *Fortassis*, inquit, *fuit id a Christiana modestia profectum, ne scilicet ipsi viderentur dominantes in Cleris*.

Eidem modestiæ (liceat id etiam mihi) adscribendum duco, quod hi Parochi & Capitulo, ac Vicario Capitulari subesse velint, eamque in sese illorum auctoritatem pati. Minime gentium, exclamat Noster. *Nihil exinde Canonicis esse auctoritatis in Parochos quæsitum, vel his esse illos eminentiores*. Sed res ipsa clamat: id etiam modo, & ubique obtinet. Nihil omnino, pervicacius oggerit. *Sicuti ex eo, quod in SS. Pontificis electione soli jure suffragii gaudent Cardinales, non inferes Cardinalitiæ Dignitati Episcopalem potestatem esse subjectam.* Transitio de genere in genus, acutissime Logice. Non hic de jure eligendi sermo est, sed

ſed de juriſdictione, Sede vacante. PorroRomana Sede vacante, nemini dubium fuerint, tam ampla Cardinales, qui Rom. Pontificis Presbyterium conflant, juriſdictione pollere, ut in totam Eccleſiam, in ipſos etiam Epiſcopos illam, ubi opus fuerit, exerere valeant.

In §. XIV.

CASTIGATIO XIII.

Dum ea recenſentur, quæ ſine Capituli conſenſu, ſive conſilio expedire nequeunt Epiſcopi, Canoniſtarum doctrina vindicatur.

QUæ toto hoc §. vitilitigat Anonymus, poterant perquam impune prætermitti. Neque enim me, ſed Canoniſtas omnes petunt, ex quibus exſcripſi, quibus in rebus Epiſcopum opus ſit Capituli conſenſum expoſcere, in quibus vero conſilium unum. Sed ne hic ἀσυμβολος omnino ſim, veritus præſertim, ne ex hoc capite mihi Noſter Ariſtarchus ſuccenſeat; ecce hic etiam, ſed pauca commentabor. Et principio quidem criminatur, quod Decretales aſſeruerim Epiſcopalem poteſtatem in ſatis paucis rebus compreſſiſſe, quæ tota prius ab omnium conſenſione pendebat. *Potuiſſet*, ait, *id modeſtius* (*mendacium ceteroqui*) *efferri*. Cacabus ollam. Ain, tandem, mendacium? Illud-ne

lud-ne, quod apud Canoniſtas offendes, qui uno ore, nihil unquam ab Epiſcopis gravioris momenti ſine *Presbyterii* conſenſu fieri olim potuiſſe affirmant? *Olit* vero modeſtiſſimus homo *hoc genus loquendi*, *cum de SS. Epiſcopis agitur*. Quodnam porro genus loquendi, poteſtatem compreſſam, coercitam? Quanta mitiſſimi hominis religio! Videbimus alibi, quam male Noſter de SS. Epiſcopis mereatur, ſi quos ſibi minime arridere ſentiat.

Nunc ad rem. Primum illud eſt, ubi ſi Capituli conſenſus deſit, Epiſcopus nihil agit, rerum Eccleſiaſticarum alienatio. Certiſſimi res juris eſt. Cauſſ XII. quæſt. 2. & alibi ſæpius. Quid hic ille tricatur? Primo nullas hac in re Capituli partes; Cleri totius exquiri conſenſum. Præſidium ſibi arceſſit ex Cap. Tuæ Nuper de his, quæ fiunt, ibi, *totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum*. At meminerit Noſter, totum Clerum per Capitulum exhiberi; quæ conſtans eſt Canoniſtarum ſententia; uſuque ipſo comprobatur: ſolius enim Capituli in hiſce negotiis conſenſus expoſcitur. Reponit ſecundo, hanc totam ſibi rem vindicaſſe RR. Pontifices, ademta aliis cognoſcendi facultate. Sed hoc ipſum rem diſertius confirmat; Pontifex enim nihil decernit, niſi ad Epiſcopi ſententiam Capituli quoque acceſſerit consensio.

Eccleſiæ bona (alterum caput eſt) si

S com-

communia inter Epiſcopum, & Capitulum fuerint, ad utrumque ſpectat adminiſtratio. Cap. Quanto, & Cap. Ea noſcitur de his, quæ fiunt. Id non arbitratur Noſter *Capituli juribus adcenſendum. Inter ipſos enim latrones ſervandum credit vulgatum illud: quod omnes tangit, ab omnibus debet adprobari*. Si res adeo fuiſſet expedita, ut apud Latrones ipsos obtineret, non puto Canonicum Jus id voluiſſe edicere, quod Latrones minime latuiſſet. Et quidem ſcitum eſt, nativo quodam jure Eccleſiaſticorum bonorum administrationem, dispensationemque ad Epiſcopum pertinere. Quidquid inde excipitur, Juribus, ac privilegiis adscribendum.

Agitur tertio loco de Canonicatuum suppreſſione. Qua quidem in re duo ſunt animadvertenda, auctoritas Supprimentis, ac Canonicorum consensus. Quacumque demum auctoritate suppreſſio fiat id certi juris eſt, etiam consensu Canonicorum expediri oportere, ſive Epiſcopus supprimat, ſive Romana Curia. Producitur Cap. Cum acceſſiſſent de Coſtitut. Video tamen aliquid amplius in hoc Capite. Canonici quippe ipſi Tullenſes Primiceriatum ſuppreſſere; eamque ſuppressionem, quo firmior eſſet, Pontificio oraculo confirmandam curarunt. Ceterum ſuppreſſionis ſtatum etiam citra Pontificiam confirmationem vi sua ſtetiſſe, inde liquido apparet, quod illud etiam ſic confirmatum integrum Canonicis fuiſſet abolere, atque iterum Primiceriatum reſtituere, *niſi dicti Canonici contravenerint, aliquem in Primicerium eli-*

eligendo. Çeterum non id volumus, in Canonicis ſupprimendi poteſtatem agnoſci, ſed eorum tantummodo ad ſupprimendum conſenſum adpoſci. Atque hæc eſt aſſerta illa Canonicorum prærogativa.

Succedit Quartum de adnexione unius Eccleſiæ alteri, quam ſine conſenſu Capituli jura minime permittunt. Cap. Tua Nuper, de his, quæ fiunt. Quoniam porro, quæ hic ingeminat Noſter de Cleri totius consensu, modo in primo capite occupata ſunt, ad quintum, quod leviſſimum eſſe, ut & cetera usque ad ultimum ait Anonymus, gradum facio. Quid eſt hoc leviſſimum Noſtri Doctoris ſententia? Capituli conſenſum requiri, ſi forte Eccleſiæ auctoritas minuenda timeatur. Id vero leviſſimum? At quid gravius, quid momentoſius, quid majori ſtudio avertendum, quam Eccleſiæ detrimentum, ſi præſertim auctoritate, quæ tanti eſt, periclitetur Eccleſia? quid honorificentius munere hoc, quod Canonicis datum eſt, uti videant, ne quid Eccleſiæ auctoritas detrimenti capiat? Quam inſipidum vero, quod adtexit: *nolim hoc ego, & illum aſſenſum rejicio, cum numquam Eccleſiæ minui deceat auctoritatem*. Perinde ac ſi eo ſpectet consensus, ut ad Eccleſiæ perniciem concurratur; cum potius is sensus ſit, idcirco in hiſce graviſſimis rebus conſensum Capituli expoſci, quod difficillimum ſit, plures in Eccleſiæ detrimentum convenire; quod facile tamen poteſt contingere, ſi unius arbitrio

 res

res permittatur. Simile prorsus eſt, quod num VI. disputatur, ſi Cathedralis Eccleſiæ detrimentum timeatur.

Septimo, ſi in Ædibus Canonicalibus Seminarium excitandum ſit, ſine Canonicorum conſenſu hoc non permittitur. Locum ſigillat Anonymus: *Hoc vero notandum, quaſi liceat alicui, me ex meis ædibus invitum exturbare.* Atqui licet, ſi publicum bonum, qualis certe Seminarii erectio cenſetur, privatos acquieſcere opus eſt, ut privilegii loco habendum sit, ſi adhuc hoc in negotio privatorum consensus expoſcatur.

Octavo ſtatim loco ſuccedit, quod in Canonicorum, qui *Supernumerarii* dicuntur, creatione, ac demum ſi velit Epiſcopus, Animarum curam, quæ integrum Capitulum tangit, uni certæ perſonæ, ac dignitati adnectere, Capituli conſenſus requiratur. *Patet reſponſio*, excipit Noſter, *jus omne interdicit, ne miſero novæ ambages ſtruantur, cum ſatis ſit miſero Canonico ferre eos, quos in Capitulo invenit, novos hoſtes, qui illum ſatis divexatum excrucient, invehere non modo illiberale, ſed ſævum omnino, & inhumanum eſt.* Non poſſet atrocius dici, ſi non de honeſtiſſimorum Canonicorum Collegiis, ſed de Scytharum contuberniis, aut Tartarorum turbis diſſerendum fuiſſet; ut proinde ad illud humanitatis jus interdicens, ne novi in contubernium hoſtes, ac tortores invehantur, confugiat.

At rem fœdam, clamat, pati ſe ſiccis ocu-

oculis Canonicos animarum cura ſpoliari, quod perinde eſt, ac ſi oculos ſibi ſuffodi voluntarii permiſiſſent. Rem fœdiſſimam & ego ajo. Sed quam multos inter Parochos ipſos inveniet, qui hac ſe ſarcina levari percuperent, quam, abſque Vicariis eſſet, in quos illam totam rejiciunt, omnino abjeciſſent? Ceterum experientia compertum eſt, animarum regimen expeditius, feliciuſque per unum, atque per paucos geri, quam per plurimos, quorum dum alter alteri plus nimio confidit, aut negligitur omnino, aut peſſime adminiſtratur.

Expedit denique quam breviſſime ea, in quibus Epiſcopo Capituli conſilium exquirere præſcribitur. Quibus ego multo brevius me expediam; nam quod ad Clerum ea pertinere, non ad Capitulum tertio jam nunc repetit, & diſciplinæ mutationem obtrudit, & alterum hoc comminiſcitur, & de primo recocta toties crambe nolim miſeros lectores occidere. Duo tamen non prætermittam, quæ habet poſtremo loco in illud Trid. Seſſ. XXI. Refor. 9. *Indulgentias, aut alias ſpeciales gratias, quibus non ideo Chriſti Fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo publicandas eſſe decernit. Adhibentur*, ait ipſe, *ad ornatum, & decorem publicationis, ut ſi Parochus nobili infantulo baptiſmum miniſtraturus Alba, ac Fluviali indutus, longo Clericorum choro ſtipatus e Secretario prodiret*. O præclaram, ac Parocho dignam

commentationem! Quis nesciat vero, quot, quantasque excitavit in Ecclesia tragœdias Indulgentiarum promulgatio, quot in hisce rebus abusus irrepserint, de quibus hic etiam conqueritur Tridentinum? Negotium ergo hoc non quibuslibet dandum erat, sed gravissimis, prudentissimisque viris, qui summa religione, & adsistentia in re delicatissima sese gererent. Atque idcirco Episcopi eliguntur, de quorum probitate antecepta opinio est; eisque duo de Capitulo, non ad pompam, non ad ornatum, sed in adjutorium dantur, ac subsidium, ne forte imprudentia, aut alia quapiam re in ancipiti negotio peccetur.

Secundum est, quod præcipuas ego in Diœcesana Synodo Canonicorum partes esse dixerim; ejusque sanctiones firmitate carere, si inconsulto Capitulo promulgentur. Vellet ergo Noster, ut hujus rei non unum Lucium Ferraris vadem dedissem, sed firmioribus argumentis roborassem. Atqui id ego prorsus egi. Nam Benedictum XIV protuli de Synodo Diœcesana id ex S. Congregationis pluribus decretis confirmantem, quem vide loco in Opere laudato.

In

In §. XV.

CASTIGATIO XIV.

1. *Inducta persona convicia omne genus liberius sibi permittit Anonymus .*
2. *Assisiorum caussa non bona , patrocinio Anonymi pejor .*

HActenus sic genio indulsit suo Anonymus, a natura ad maledicentiam comparatus, ut quoniam mecum adversa fronte pugnaturus erat , se pudore quodam temperaret aliquantisper , ne in convicia totus, quantus est , effunderetur. Hactenus ironia illi, ac fucatæ laudes arma tulere. Sed jam dirumpebatur, si diutius sese contineret. Erupit ergo ex imis visceribus diu ibi compressa bilis, atque omni penitus verecundiæ objice disjecto animum in maledicta proclivem explevit suum . Insutas ergo Opusculo meo pagellas duas, quibus de Assisiis Canonicatu prohibendis agitur , configens, quasi alienum hostem oppugnaturus , impune me , famam , nomenque meum proscindit . Ad ingenitam hominis violentiam fomites accessere duo ex Assisiis ipsis impotentissimi , (quorum alter eo audaciæ processit, ut clarissimi Viri sæpius a me laudati Allifani Episcopi perhonorifico de me judicio insulsissimum judicium opponeret, seu potius scriptioni non suæ nomen commodaret suum).

His facibus ergo ignem perpetuo afflantibus totus exarsit Noster, operamque eis locavit suam, non ita tamen, ut saltem pro impenso beneficio in editionis sumtibus ἀσύβολος esset. Huic ergo ludioni ut par pari responderem, lingua illa tua benedicta opus esset, quæ acutæ novaculæ instar secat, ferit, discerpit. Qua in re imparem me omnino fateor, eique perlibenter palmam concedo. Quæ ergo declamationibus ejus impotentissimis repono, omnia ad mansuetudinem, & Christianæ modestiæ normam apprime exigenda curabo.

Objurgat me statim Anonymus, *mei oblitum felle, ac veneno tumentem extra justitiæ, æquitatis, pudoris septa delatum: in immerentium perniciem incumbere, ponere spem meam mendacium, frigide ratiocinari, inepte concludere*. Gravissima sunt hæc, ingentia, capitalia. Generatim hæc in initio; nam continuo de singulis acturus est. Quibus ego quoque generatim respondeo, nihil a me alienius, quam felle, aut veneno tumere. Lectorem appello, eumque, uti meum severissime Opusculum excutiat, hoc præsertim loco, rogatum volo, ea lege, atque omine, ut si quid a me peccatum senserit, fama perpetuo sim periclitaturus. Quod justitiæ, quod æquitatis septa perfregerim, quod in immerentium perniciem incumbam, nihil in me calumniosius intorqueri potest, quandoquidem diserte asseruerim, si forte Assisii iis probitatis, ac doctrinæ ornamentis præditi sint, quæ Canonicorum muneribus obeun-

obeundis postulat Ecclesia, eos non modo Canonicatu minime arcendos, sed ad illum plaudentibus omnibus esse provehendos. Sin minus, Ecclesiæ potius commodo, quam privatæ consulendum utilitati. Quod frigide ratiociner, quod inepte concludam, id statim videndum est. Sed prius a me mendacii accusatio depellenda est.

Ergo Ipse iterum: *Splendide mentitur in ipso exordio, dum Assisios repræsentat per Regia Tribunalia cursitantes de Canonicatu contendentes*. Additque, nihil aliud denique Assisios egisse, quam quod calamitati suæ indolescentes, atque inopia pressi, probante Episcopo, Regium adiere Thronum auxilium lapsis in rebus postulantes. *Oh tun' is eras*, possem hic cum Comico reponere. Et quando ego, cum Assisios per Tribunalia suprema cursitantes exhibui, de Aversanis Assisiis mentionem injeci? Soli-ne Aversæ Assisii? An non ubique Gentium? Nulli umquam de Canonicatibus contentiose litigarunt? nulli umquam in Regiis obstrepuere Tribunalibus? Quod si Nostrates ex iis, quæ generatim nemine appellato improbavi, petitos se senserint, apertissime conscientia stimulante ipsi sese produnt.

Sed jam rem ipsam attingit Noster. Longissimi temporis præscriptione factum, ajebam ego, ut Assisiis ad Canonicatum præcluderetur accessus. Antiqui mores ostendunt e re Ecclesiæ esse non hujusmodi homines ad altiorem hunc gradum provehere. Uno, aut al-

altero tempore, unus, aut alter Antistes eorum aliquos altius ascendere jussisset. In hæc ille furore amens, *exhorrescat cælum*, exclamat. Quid tibi contigit, bone vir? Quid audisti? Num in Cælo iterum antiqua inter Cœlites commota est seditio? *Quanta*, ait, *in tribus verbis iniquitas, mendacium; imperitia; tum communis sensus depravatio; tum Ecclesiasticorum graduum fœda, detestabilis, odiosa invecta imago; pudet cetera persequi*. Quid gravius, quæso, quid amarius, quid acerbius in Lutherum, Calvinumve ipsum effundere potuisses? Sed qui demum hisce ex capitibus reum me peragis? *Mentitur*, inquit, *dum a nullo Antistite ullo tempore aliquem ad Canonicatum dicit evectum. Consulat Tabularium Episcopale: frequentissimi occurrunt Assisii ad Canonicatum omni tempore a variis Præsulibus promoti. Qua fronte oppositum tam secure pronunciatur?* Certe neque tu Tabularium illud consuluisti: tibi ab Assisiis tuis imponi passus es. Hi, qui ad Canonicatum promoti ibi dicuntur, non ex Assisiis erant, qui posterius multo enati sunt, sed ex iis quos Quartostallos appellabant, longo ab his intervallo dissitos. Qua fronte tu potius oppositum tam secure pronuncias? Æquus Lector laudatum adeat Tabularium, ne illud exscribendo longissime evagemur.

Ex præscriptione porro me pugnantem oppugnat facetissima exclamatione: *Egregium mercatorem, qui in sacratiora Ecclesiæ jura*

omni

omni jure conculcato hanc invenit (præscriptionis) *regulam*! O insipidum declamatorem, cui vociferando mens evanuit! Quid? Nonne præscriptionis regulam in sacratiora Ecclesiæ jura, cujusmodi certe est Episcopalis jurisdictio, & alia sexcenta, ipsa Ecclesiæ jura invexerunt, uti iis, qui ipsos Decretalium titulos novere, dubium esse nequeat? Nonne tu ipse affirmas statim, conditionibus quibusdam munitam voluisse præscriptionem *tum Ecclesiasticos, tum Politicos Legumlatores*? Quæ, malum, isthæc insania est, ut idem eodem tempore affirmes ac neges?

A tyrunculis Leguleis præscriptionis me conditiones vis accipere; versiculos, quibus continentur, subjicis. *Dispeream*, addis, *si non decem pro quinque hic desint requisita*. Sed oportebat, te, quænam ex conditionibus desideretur, indicare, quod non facis; neque enim facere poteras. Quippe effutire contentus es, non probare. *An unum, & modicum probrum fuerat illud: hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, ut necesse fuerit addere: præscriptione hæreditatem Domini dissipemus*. Sanus ne es? Intelligis, quæ dicis? Idem ergo per te jus hæreditarium, ac præscriptionis jus? Nonne illud execratur Ecclesia, hoc inter Canonicas suas sanctiones enumerat?

Hoc argumento, pergit, *peti se sentient honestissimi Canonici nostri, quorum nullus ab omnibus retro sæculis Episcopalibus infulis*

lis decoratum novimus. Quam confidenter nullo producto teste! *Præscriptum est ergo quoad Episcopatum contra RR. Capitulum Aversanum? Quis feret?* Inscitissime omnium; nam non præscribitur, nisi adversus illum, qui in rem aliqnam qualecumque jus obtendit. Nullum porro jus Canonicis neque Aversanis, neque ullis umquam aliis ad Episcopatum; quemadmodum jus sibi in Canonicatus sive juste, sive injuste, semper Assisii vindicare sibi obnisi sunt.

Tristatur Communis sensus, dum audit cœtum unum Assisiorum excludendum a Canonicatu ... qui ab Episcopatu, a Cardinalatu, immo & a Summo Pontificatu non excluduntur, a Canonicatu arceantur. Quam delicatus Nostri sensus! Non ita cum ceteris, qui sensu vigent, comparatum est. Norunt quippe, Societates quasdam, Sodalitia quædam diversis classibus hominum ita posse compingi, ut ab una ad alteram nullus pateat ascensus. Sic in Religiosis Ordinibus, qui in Laicos, quos vocant, ac Sacerdotes dispertiti sunt; numquam, aut fere numquam Laici ad Sacerdotes evehi permittuntur. Quod & inter feminas quoque obtinet. Moniales quippe Laicæ numquam inter eas profitentur, quæ Choro sunt addictæ. Id Societatum ejusmodi concordia, & pax postulare visæ sunt.

At injusta de Ecclesiasticis gradibus exhibetur imago, dum hi probis Presbyteris intercluſi nuntiantur: cum probitate, & do-

cri-

ctrina ad sublimia quævis in Ecclesia singulis viam muniri constet inter omnes. Si probitas, si doctrina ea sit, quæ hisce gradibus ex Ecclesiæ instituto respondeat, id & ego confessus sum, ut nihil mihi ex hoc capite molestiæ creari queat. Sed manca, & debilis fit Hierarchia exclusione Assisiorum, quasi non essent hi uncti oleo. *Si enim ad Canonicatum evehi nequeunt, jam nullo loco sunt, jam extra Hierarchiam illam constituentur*. Satis imperite: nam distinguere oportebat inter Hierarchiam divina Ordinatione institutam, de qua Tridentinum, & institutam auctoritate Ecclesiæ. Hi ergo Assisii si Presbyteri, si Diaconi, in illa certe sunt, quæ divina constituta est auctoritate; quod sane non facit, quin illa excludi possint, quam Ecclesia instituit. Presbyteros quippe Presbyteris superiores, Diaconis superiores Diaconos, uti Archipresbyterum, Archidiaconum, Dignitates, Canonicos aliis extra gremium Presbyteris eminentiores Ecclesia & instituit, & agnoscit. *Si autem vi Diaconatus, vel Presbyteratus ad Hierarchiam pertinent, semper ad altiora illis debet ascensus patere.* Nempe ad Episcopatum, qui in Hierarchia divinitus instituta supremus est gradus. In Ecclesiastica secus obtinet: hodiernis quippe moribus omnes Presbyteri sola differunt dignitate. *Inauditum est aliquem alicujus Ecclesiæ ministerio addictum ineluctabili necessitate immobilem detineri in eo, quem primo cepit, gradu, nec*

posse

posse ad altiorem in eadem Ecclesia ascendere . Si in eadem classe sit Ecclesiasticorum ministrorum, id certe licet ; non ita si in diversa sint , atque ita , hisque legibus hujusmodi cœtus sint instituti ; ut paullo ante ostendi .

At ego Canonicatu Assisios prohibui , quod decere minime videretur , ut qui deserviendo instituti sunt , ad imperandum continuo arcessantur , quemadmodum indecorum certe existimaretur , si Judicum adparitores in Tribunalibus statim , nullo alio interjecto gradu , ad jus dicendum advocarentur . In hæc mea sic debacchatur ille : *O vocem sacrilegam , miscentem Sacra profanis ! Ergo Canonici ad imperandum ? Christus non venit ministrari , sed ministrare . Magister , & Dominus lavat pedes Discipulorum : clamat : ego sum in medio vestrum , quasi qui ministrat ; & imperant Canonici ? En Christi Vicarius , Petri successor vocat se servum servorum Dei.*

O vocem hæreticam , uti sonat , & Hierarchiam evertentem ! quodque execrabilius est , ab ipsis Christi verbis , quæ misere heterodoxi distorquent , præsidium sibi arcessit . Negabis-ne ex his , quos profers , textibus , Ecclesiasticum principatum , licet hic non ejus sit indolis , qualis est terrenus fastu , superbiaque tumens , sed modestiæ plenus , ac charitatis ?

Ad Assisios , quod attinet , quid mihi controversia movetur , quod cum Canonistis omnibus illos non Canonicorum singulorum,

sed

ſed Capituli *Deſervitores* nuncupaverim ? Quod ſi recipitur, cum id vocabulum ex illo genere ſit, quod relativum vocant, neceſſe eſt omnino, ut ſi deſerviant Aſſiſii Capitulo, imperet Capitulum. Quid hoc rectius ratiocinio? Nonne agnoſcis tu ipſe verti non debere in contumeliam Aſſiſiorum ſervitium hocce, cum perhonorificum ſit Eccleſiæ ſervire? Nam quod ſubdis: *aliud eſt Canonicis, aliud Eccleſiæ servire*; certe Lectoribus illudis, cum Capitulum a ſingulis Canonicis non diſtinguis. *Sed Canonici, qui Eccleſiæ deſerviunt, nonne ad Epiſcopatum promoveri poterunt*? Ita ſane, quod in diverſo ſervitii genere ſint. Iſti quippe Epiſcopis in Epiſcopali miniſterio opera, ac conſiliis adſunt. At Canonicis Aſſiſii in concinendis tantum divinis Laudibus. Quis porro non videt ab Epiſcopatu Canonicos propius abeſſe, ab Canonicatu Aſſiſios longa ſatis intercapedine ? Sed ego Synodicæ Epheſinæ epiſtolæ inſcriptionem alibi recitans, *Epiſcopos* induxi *Presbyteros Comminiſtros, ac Compresbyteros ſuos nuncupantes*. Bene ſane: id vero minime prohibet, quin Canoniſtæ *Deſervitores* appellent. Illa quippe Prebyteris congruebant ea ætate, qua cum Epiſcopis Eccleſiam regebant, cum ſcilicet Presbyterium conflabant, cui Canonici ſuccedunt. Nunc ex hodiernis moribus, ipſa probante Eccleſia, invecta eſt inter Presbyteros ipſos Canonica diſtinctio, ut in varias diſpeſcantur claſſes; aliique ſimplices

Pre-

Presbyteri sint, alii in Dignitate, aut quasi Dignitate constituti.

Nunc mihi de cantu negotium facessit. Qua in re non id ego asserui, non posse omnino cum cantus peritia severiorum disciplinarum cognitionem omnino componi; sed perquam raro id contingere, uti experientia quotidiana edocemur. Neque cantus peritiam inutilem esse, cum ab Ecclesia præcipiatur, & Canonici ipsi ex nova disciplina canere in Choro jubeantur; sed ultimam esse hanc Clericorum partem, si cum divinarum scientiarum necessitate conferatur. Ex nova, dixi, disciplina; nam canere in Choro inferioribus Clericis antiquitus impositum erat, Presbyteris, ac Diaconis alibi occupatis. Atque ad id confirmandum Gregorii Magni verbis usus sum, quibus nihil evidentius; ut proinde insulsissima sint, quæ ad id testimonium elevandum comminiscitur Anonymus. Nam de cantu theatrali, ac lascivo vult accipiendum Gregorium esse. O lepidum caput! cantus hic lascivus, ac theatralis non majoribus tantum Clericis indignus est, sed Clericis etiam minoribus: quibus tamen cantum imperat SS. Pontifex: immo indignus omnino Ecclesiæ sanctitate, ubi minores Clericos concinere vult Gregorius. *Fortasse*, subdit, *Diaconi, & Presbyteri illi, cum exquisitis, & longo usu comparatis modulationibus assuevissent, non facile dediscere poterant, quod didicerant diu, & quamvis sæpius moniti in idem recidebant.*

Id

Id loqui est ad labia commovenda tantum; cum ipse, qui loquitur, quid dicat, ignoret. Nam quid peccabant Diaconi, & Presbyteri, quod non facile dediscerent, quod didicerant diu? Cur ob id acriter castigantur? An non ob id potius, quod hosce Majores Clericos severioribus curis vacare oportebat? Rem confirmemus verbis eruditissimi sæpius laudati Episcopi Allifani in citata dissertatione.

Anticamente i Canonici della Cattedrale non erano addetti al Canto, che adempivano i Cherici Minori, detti perciò Cantores: *giacchè il principale loro uffizio era di assistere al Vescovo per lo governo della Chiesa: cosa, che si è veduta poi nella Chiesa Romana, dove i Cardinali Vescovi Suburbicarj, i Cardinali Preti, ed i Cardinali Diaconi, secondo i diversi titoli delle Chiese, a' quali sono incardinati, han formato il Presbiterio senza canto; essendo rimasto in Roma quest' uffizio di Cantori presso i Canonici delle Basiliche senza Presbiterio.*

Objicit hic Noster, *ex spectabili Assisiorum ordine Urbanos, & Diœcesanos Parochos extitisse quamplurimos*. Hui quamplurimos! Vix uno sæculo hoc tres non ultra; nam de superioribus sæculis silentium altissimum. Sed extiterint quamplurimi; id non statim probat, ex Assisiis Canonicos legendos esse: doctrina quippe speciosior, atque excellentior in Canonicis præ Parochis desideratur, uti superius nos Allifanus Episcopus

 edo-

edocebat. At non in omnibus, qui Canonicatu augentur, istam, quam prædicamus, doctrinam suspicimus. Esto: sed hoc eligentibus vitio detur, qui sæpenumero ab Ecclesiasticis sanctissimis regulis, alio intenti, aberrare non erubescunt.

Ad Assisiorum originem excurrit mox Anonymus, quam longe ante prænarrasse oportebat. Sed Excursori neque modus, neque methodus præscribenda est ulla. Illam refert satis urbane *in Canonicorum inertiam, ac socordiam, qui hæreditatem sine sacris assecuti, cum loco moveri non formidarent, segnius munere suo fungi, raro adesse Choro cœperint*. Utque melius de inviso sibi cœtu mereretur, Espenium profert, qui Canonicos affirmat, *vix absoluto horarum penso, non secus, ac si Diabolus eos flagellis persequeretur, celerrima fuga sese ab Ecclesia præripere*. Hæc num Espenii sint, certum non habeo dicere: neque enim locum, unde decerpserit, adpingit; mihique valde suspecta sunt, qui Canonistæ illius modestiam gravitatemque cognoscam. Neque enim ista, quæ in universum cœtum congeruntur, vera esse possent, quando in universo Ordine quamplurimi morati homines, compositisque moribus præ nonnullis levioris ingenii, soleant reperiri. Sed Noster, si quid ad Canonicorum invidiam transferri possit, avidissime arripit, ac magnificentissime extollit. Ceterum Assisiorum origo verosimilius Canonicorum occupationibus, eo præsertim

tem-

tempore, quo ministeriali Animarum cura detinebantur, adscribetur; quod & Episcopis ipsis contigit, qui negotiorum mole oppressi, alioque avocati, rarius in Chorum convenire cœperunt; nisi & hos malit Noster, a Diabolo flagellis petitos, quoties Ecclesiam adeundi eos cupido incesseret.

Ad caussæ perorationem jam pervenimus. Ipse ergo, *quod caput est*, Assisios in Canonicatu, *ceteris paribus*, præferendos esse autumat. Id illi ego quoque assentior, idque egeram, eaque ratione rem transegeram. Sed in momentis, quibus hoc suadere nititur, unum est, in quo mihi ridiculus est; id quippe probat, quod oppositum est illi, quod spectat. Producit nempe Cœlestini I. epistolam relatam in Cap. Nullus dist. 61. qua sane auctoritate nihil conficitur aliud, nisi Assisios contentos esse oportere gradu suo; non licere ipsis ad aliena obrepere stipendia. Verba damus: *Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem*. Iis ergo fructibus, in quibus ætatem suam transegere, contenti sint Assisii. *In aliena stipendia minime alter obreput, nec alii debitam alter sibi vindicare audeat mercedem*. Non ergo ad Canonicatus obrepant Assisii, quæ sunt aliena stipendia; non ex horum stipendiis sibi substentationem conquirant; quod nostri fecere, injusta Canonicos nostros lite divexantes; fructibus suis contenti sint; qui si tenues sint, illud cogitent, nullo cogente, vel tenue

Beneficium libenter occupasse. Aliis debitam mercedem vindicare non audeant. *Sit facultas Clericis retinendi, si se videant prægravari*. Sua sibi constanter retineant, contra prægravantes naviter se defendant. *Et quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare*. Proterreant, refutent, profligent, qui se sui, quod firmiter retinent, Beneficii possessionem ex transverso deturbare conantur. *Is certe genuinus est Ecclesiæ sensus; hic certe nulla opus est Glossa: incurrit in oculos stupidi cujusvis apertissima, & cedro digna sententia*. Interim insignius Noster prævaricari non poterat. Hæc obiter. Ceterum aperte Cælestinus suam aperit mentem: *Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero nullus dignus poterit reperiri*. Quod apprime iis, quæ posui, concinit. Si in Ecclesia, de cujus Canonicatu agitur, digni *ceteris paribus* inveniantur, hi demum fausto omine eligantur, præferantur. Sin minus, suis fructibus contenti vivant, ad aliena stipendia minime obrepant.

Dixerat modo, *ceteris paribus*, in Canonicatu præferendos Assisios. Statim id ei displicet: non enim naviter pro suis decertasset Vult porro in Vinea Domini laborantium neminem esse omnino, qui de Canonicatu jure cum Assisiis contendat. Instituta quadam personarum inductione id conficere conatur. Nam primo Parochos Canonicatibus inhiantes furibundus deterret, quip-

pe qui *Stolam gloriæ abjiciant*, & *a summo loco, in quem Dei miseratione ascenderant, delabantur, idest ab Equo ad Asinum: hos ab Episcopo vinclis, & carcere frænandos imperat. Senio dumtaxat fatiscenti, & arduo muneri reddito jam inepto* indulgendum censet Noster, *ut in castra quietis* (vide quam pessime Canonicorum munia calleat) *sese recipiat*. Ad eos transgreditur, qui in amplissimo Aversano Clericorum Collegio operam suam collocant in informandis ad humaniores litteras, vel graviores disciplinas Convictoribus. Qui *hisce viris primas in Canonicatus petitione dederit, hos continuo egregiis illis Magistris, & Doctoribus velut injuriosos increpat, eosque insaniæ postulat. Non enim eloquentiam divinum donum, scientiasque longo usu comparatas perdendas didicisse censet. Hos præclaros fontes non intra se concludendos. Nullum scientiæ usum in Canonicis. Non eorum vox in Templis, non in Foro audietur. Non hos elegit Dominus, per quos salus fiat in populo suo. Ascetarum his partes tributas. Ad Animarum curam vocentur clarissimi illi Professores. Hic dignus campus eorum virtuti patet. Hunc excolant, cum sint egregie illi excolendo instructi*. Surdis canit Noster; neque enim sive Parochi, sive Seminarii Professores, Nostri declamationibus permoventur, ut amplissimi Ecclesiæ Senatus, qualia sunt Capitula, Tridentino edocente, quam animo jure præcepere, opinionem abjiciant.

jiciant. Superſunt Monialium Confeſſarii. Ab his, Noſtro jubente, Aſſiſii minime formident: *ſunt hi quippe modeſtiſſimi homines; nihilque umquam ab his turbatum*. Nunc vide, quo ſe proruat Anonymus. Excluſis nimirum Canonicatu Parochis, Seminarii Magiſtris procul eſſe juſſis, alioque converſis, Monialium Confeſſariis in ſua ſe continentibus modeſtia, proterritis nimirum iis, qui alicujus rei ſunt, qui, rogo, ſuperant, niſi caudices, ſtipites, Aſini, plumbei, fungi, buccones? Ex his Eccleſiæ Senatus conflandus relinquitur, Senatus ille, inquam, quem Epiſcopis in ſuo miniſterio opera, ac conſilio adeſſe oportet. Hoc primum. Conſequitur deinde Aſſiſios in illo numero eſſe hominum, qui nec flocci ſint, quippe quos nec eloquentia, nec doctrina pollere neceſſe ſit; hæc enim divina munera in Capitulis perdenda didiciſſe minime decet. Aſcetarum partes, ubi ruſtica ſimplicitas, & priſca innocentia satis futura ſit, ab his occupandas. Quam præclarum Patronum, qui veritatem ſpem suam ponit, qui ſolide ratiocinatur, atque concludit, qui clientum ſuorum commodis, atque honori optime ſervit, Aſſiſii ſibi noſtri conduxere!

In

IN III. PARTIS

Ubi de Averſani Capituli Conſtitutione, ac Statu agitur, Excurſionem

CASTIGATIO.

Dum Averſani Capituli Conſtitutionem carpit Anonymus, non Canonicos modo, ſed & ipſum Tridentinum taxat.

FAcetiis, lepore; feſtivitate Excurſorem Noſtrum superat nemo, ratione omnes. Et ecce tibi, Conſtitutionem me Capituli mei Aversani, Statumque enarrare aggredientem, fabulam me ſtatim inceptare per riſum, jocumque affirmat. Hanc tamen fabulam summo molimine, totis viribus non ſine consueta maledicentia nititur evertere. Quid id dementiæ! ut quid tu operam abuteris? Ut quid fabulam oppugnas? Uno te poteras expedire verbo. Hui commentum! Sed præſtat gerronem Noſtrum huc illuc excurrentem comiter pati, ejusque ineptias refellere.

Is ergo imprimis, etsi Averſanos Canonicos ſive ſuperioris ævi, ſive præsentes impense, prolixeque commendat (quæ tamen in ore ejus Commendatio ſuſpicione non vacat), eorum tamen vicem ſe dolere

asserit , *quod Collegio structuræ suæ vitio undique fatiscenti, nullo nativæ, & ingenitæ nobilitatis decore instructo , tales , tantosque viros videt aggregatos. Aliis fastis , aliis titulis erant adscribendi* . Quis non hic cerebrum Anonymi miretur festivissimum? Nam quo demum vitio Aversani Collegii structura laborat, ut jam fatiscat, ac collabatur? Quem nativæ & ingenitæ nobilitatis nitorem desiderat? Qua in re hoc nostrum a ceteris Capitulis dissimile! Qua ingenita nobilitate fulgent vel Neapolitanum , vel Campanum proxima? Nonne hæc , & sexcenta alia eodem conflata modo , ac compacta? aut discrimen cedo . Pergit : *Vidit hoc sapientissimus noster Antistes , calamitatem eorum doluit , & pro virili se totum ad illos augendos , honorandos , extollendos comparavit* . Sed quam , obsecro , ruenti , ac fatiscenti Capitulo structura sua , fulturam adhibuit amantissimus Episcopus noster? Nihil certe ipse in Capituli sui Constitutione mutavit. Auxit certe , amplificavit , ornavit , in iis sane , quæ nihil ad ejus statum attinebant. Pontificalibus indumentis Canonicos honestandos curavit. Sed hæc in aliis ab Episcopis , non honoris , sed vanitatis insignia sunt; superius ista reprehenderat, improbaverat, acriter insectatus est. Accipe quid habeat in Responsione ad Appendicem: *Prælatitia Insignia . . . . optandum maxime esset, ut Canonici Nostri numquam ornamentorum illorum pulchritudi-*

ne

ne adeo capti ; & incensi fuissent . Sed ab homine dicacissimo nec ratio, nec constantia expectanda est.

Me *totum* accusat *in elogium mei Capituli Constitutionis effusum, quidquid Thraso in fabulis, quicquid Græcia mendax audet in historia , longe superasse, meque aliis irridendum præbere* . Si a cordatis viris mihi illuderetur, displiceret sane, ac maxime doleret. A te porro , nihil certe , qui vel summos viros irrides. Sed videamus , qui Thrasones , mendacemque Græciam longe superarim . Singulare quid nostro huic Capitulo contigisse affirmavi, quod fuerit illud exortum , antequam Civitati primus daretur Episcopus . Compertam habere ante Episcopatum ipsum Presbyterii Aversani constitutionem , & quidem pastorali Cura decorati, ita ut peculiari prorsus exemplo Principi Senatus præiverit. Rem statim probavi. Aversa , inquiebam , condita est anno 1030. Raynulphus urbis parens , ac fundator , tantum non mœnia absolvit , cum de Ecclesia Matre construenda , Ministris arcessendis, iisque largo censu ditandis cum primis cogitavit . Siquidem ex Diplomate Jordanis III. anno 1121. constat , Raynulphum hunc primum Aversæ comitem complura speciosissima prædia in Ecclesiam S. Paulli Aversanam , ejusque Clerum regali plane munificentia contulisse. Raynulphus fato concessit anno 1047. Primus Aversanis Episcopus datus est Azolinus a Leone IX.

con-

consecratus anno 1050. tribus post Raynulphi obitum annis. Solum ergo Presbyterium toto illo viginti ad minus annorum intervallo pastoralem curam neophytæ Ecclesiæ istius curam gessit. Quid hic Thraso sibi vindicat, quid Græcia mendax? Aut hæc demonstratio est, aut in rebus ejuscemodi demonstratio non datur.

Quid ipse ad hæc? *Certissimum est*, inquit, *70. ad minus post Raynulphi obitum annis prima Aversanæ Ecclesiæ fundamenta esse jacta a Ricardo Capuæ Principe, & Aversæ Comite, qui cum anno* 1119. *Aversani Templi ædificationem aggressus, & biennio post universæ carnis viam esset ingressus, cum inceptum opus ad exitum non perduxisset, Jordanes ejus filius, & successor absolvit*. Quid hac narratione demum conficiet Noster? Toto nimirum ferme seculo Aversam Urbem & Templo, & Ministris caruisse: seculum quippe a Raynulpho ad Ricardum fere effluxit. Quid absurdius? Ipse se statim emendat. Confitetur nempe, *exiguum interim Templum construxisse Raynulphum* (neque id inficiari poterat; dicitur quippe in allato Diplomate Raynulphus in Ecclesiam S. Paulli prædia contulisse) *illudque Presbyteris suis, militumque Cappellanis tradidisse*. Ricardus ergo, vel disjecto a Raynulpho ædificato Templo, vel eo loci, ubi nunc visitur, magnificentius aliud excitare aggressus, morte interceptus, operis absolutionem Filio reliquit. Nihil hactenus mihi ne-

negotii facessit Ricardi ædificatio. Sed quid est illud, quod addit Anonymus: *Res inter arma, exércitusque colluvionem gerebatur, ut necesse non fuerit missionem sacram Presbyteris illis impetrare*. Ergo inter armorum strepitus, & fera prælia, ad ministranda Sacramenta Presbyteri sacra non indigent missione? Quid hoc opinionis portentum? quis simile aliquid, nisi Noster, somniavit? Atque in hujusmodi errore persistit adeo, ut adnectat statim: *Et hæc quidem in ipsis primordiis. At verò post publicam rem ordinatam, post civium numerum novis accessionibus auctum.... necesse fuit legitima missione Presbyteros insignitos accire*. Ubi ergo civium infrequentia est, ubi res publica non satis ordinata, Presbyteris legitima missione opus non est, ut Ecclesiam administrent. Ægri hominis deliramenta.

Hanc porro missionem a viciniore Episcopo impetratam autumat Noster. Sed explicandum erat, qui vicinior Episcopus hanc missionem impertiri potuerit, quam ipse minime habebat. Producit in hanc rem Canonem Chalcedonensem XII. *Ut si qua Civitas excisa, vel habitatorum copia fuisset destituta, jam proximus Episcopus, eorum, qui reliqui essent, curam susciperet, quousque illa Civitas restauraretur, vel rursus incolarum multitudine augeretur*. Sed hoc Canone Episcopo collata cura eo concluditur tempore, quod inter excidium effluit, ac re-

reſtitutionem, diſperſionem inter civium, novamque collectionem. Reſtituta itaque Civitate nulla amplius permittitur proximo Epiſcopo facultas. Succeſſerit ergo everſis Atellis Aversa, nova Atella nuncupata fuerit, certe ab ejus ædificatione nulla in eam proximo Antiſtiti vel Neapolitano, vel Campano poteſtas reliqua fuit, ut eo miſſis Presbyteris miſſionem conſerret. Melius ergo mihi videor rationes meas iniiſſe, qui a Romano Pontifice, dum de Antiſtite novæ Urbi dando deliberatur, miſſionem interim Aversano Presbyterio collatam affirmavi.

Redit ad Jordanis Diploma Noſter, ex eoque nodum mihi innectit. Apparet ex eo largiſſimo censu S. Paulli Eccleſiam fuiſſe ditatam. At ego poſtea tenuiſſimos fuiſſe obtendo hujus Eccleſiæ reditus. Addo, futurum, ut jacuiſſet Capitulum, niſi privati homines pro ſua pietate fundos in ipſum contuliſſent, quibus ejus conſtat dos univerſa. Vides, ſubnecto, Caſtrum Patriæ, ac Lacum Epiſcopo, & Clero conjunctim cesſiſſe, quæ poſtea diſſociata communione in Epiſcopi unius poteſtatem recidere.

His porro me facillime expediam. Et quod ad poſtremum hoc, de facto quæſtio eſt. Ex Diplomate quippe certiſſime conſtat Caſtrum, Lacumque Patriæ in Eccleſiam, ideſt, ut ibi diſerte dicitur, in Epiſcopum, & Clericos collatum. Certiſſimum item eſt, Lacum hunc modo in unius Epiſcopi eſſe dominio. Quid ergo dicendum? Epiſcopos

non

non sua occupavisse? Capitulum despoliasse? Id certe affirmaverit nemo. In tanta veterum monumentorum inopia, nihil a vero alienum dicemus, si Episcopos asseramus, aliud quidpiam pro jure, quo in Lacum fruebatur, Capitulo concessisse, quod deinde temporum injuria vel deperditum, vel diminutum ita fuerit, ut deinde vere dici posset, fore, ut jaceret Capitulum, nisi privati homines donationibus suis ei subsidio fuerint.

Ad alterum quod spectat, nihil prohibet, quin speciosissima in Ecclesiam S. Paulli prædia collata sint, & tenuissimi tamen extiterint Capituli reditus; idque non solum post tanti temporis accessionem, nimirum anno 1449. post quatuor fere sæcula (nempe experientia compertum est, ut sunt res humanæ, facultates post temporis intervallum aliquando augescere, decrescere interdum), sed etiam ab ipso sui initio, ut loquitur Jacobus Episcopus anno memorato 1449. in monumento, quod in Capituli Tabulario asservatur; rationem quippe ipse laudatus Episcopus imminuti census affert. *Nonnulli quippe*, ait, *ex antecessoribus Episcopis tot, & tantos Canonicos, & Clericos Beneficiatos in ipsis gradibus instituerunt, & ordinaverunt; quod quasi sic ipsorum excrevit immensitas, ut nequeuntes se substentare &c.* Vides ergo, reditus, qui paucis alendis Canonicis non pares solum, sed justo uberiores fuissent, sub ipsa Capituli exordia; sta-

tim

tim in ipsis initiis excrescente in immensum Canonicorum turba, impares evasisse. Crœsi nepotes justo frequentiores ad Iri pauperiem recidere.

Excurrit mox Anonymus ad Petrum Ursinum Aversanorum Antistitem optimum acriter castigandum. Incredibile porro est, qua acrimonia, qua mordacitate illum excipiat. Illi Capituli *inordinationem*, labefactationem, ruinam accepto referendam dicit; ea de caussa *fatiscere suæ structuræ vitio* affirmat. Quid tu, Petre Ursine, commeruisti, ut nunc tam ab isthoc gerrone vapules? Nisi quod gratulandum tibi est, quod illi homini odio sis, qui nulli bono parcere censuerit. Duo interim sunt, quorum Ursinum reum agit; & quod Canonicos, quos Dignitates vocant, actuali Animarum cura spoliavit; & quod inferioris Ordinis Ministros duodecim Canonicis adscripserit, miro calliditatis invento, uti totum illud corpus arctissimo servitutis vinculo sibi, suisque in æternum Successoribus faceret obnoxium. Utrumque certe mendacissimæ calumniæ genus. Nam primo, qui Capituli Dignitatibus Animarum curam ademerit, Ursinus certe non fuit. Neque id illi in mentem venire poterat; nil quippe ejus intererat, sive per Dignitates, sive per Vicarium cura illa gereretur. Canonici ipsi ministerialem a se curam hanc repulere, ut in sublimiori totius Diœceseos cura Episcopo adessent, Episcopos ipsos imitati, qui in Parochos mini-

ste-

ſterium hoc rejecerant. In ſecundo manifeſtior eſt calumnia. Ut nimirum inferiores illos Miniſtros duodecim in Canonicos retulerit Urſinus, id eo factum, ut Tridentinæ legi pareret jubenti Seſſ. 24. Cap. 22. ſingulis quibuſque Canonicatibus Sacrum Ordinem adnectendum, ita ut dimidia ſaltem pars Presbyteris impleretur. Octodecim ergo illos, quos Jacobus Epiſcopus definierat, duodecim aliis ſupplevit, quos inter Diaconos Septem, Subdiaconos quinque inſtituit, antiquos octodecim, partim Dignitates, partim Presbyteros, intactos reliquit. Qua in re quid non laudabile, quid non commendandum? Divinorum miniſtrorum numerum auxit; & ad vetuſti Presbyterii normam Capitulum exegit.

Nam quod Noſter ſatis inepte criminatur, hinc ſcilicet *Viam adinveniſſe Urſinum, qua ſibi totum Averſanum Capitulum perpetuæ ſervitutis vinculis devinciret, Canonicoſque bene ſubactos ſuis obnoxios traderet ſucceſſoribus. Arctiori gravari compede; majorique terrore premi Subdiaconos, ac Diaconos Canonicos ipſis minoribus Clericis; quibus ſi ad majores Ordines aditus intercludatur, habent, quo ſe ſolentur, ad ſecularia vota regreſſum. At ſi Subdiaconus, vel Diaconus Canonicus ad Presbyteralem non evehatur Canonicatum, nihil illis reliquum eſſe, niſi impatientis animi motus, ejulatus, ac querimonias. Hinc ambitionis virus, lucri intertrimentum, invidentiam, dum alius meri-*

tis

tis impar ascendit; *Subdiaconos Diaconosque Presbyteris numerare dies, hos Dignitatibus, atque in earum valetudinem sollertissime inquirere*: *Episcopo interim ingentem facultatem esse, cui libuerit, gratificandi, quando Animarum Cura sublata est*; & alia hujusmodi puditissima, mordendi pruritu potius, quam Disciplinæ studio Anonymo excidisse perquam liquido apparet. Nam quis non videt, omnia hæc, quæ enumerat incommoda, in ipsum Tridentinum converti, quod Ordinum distinctionem in Canonicatus invectam voluit? In pessimum illud, dirisque omnibus devovendum portentum, Æqualitatis Systema, unde omnis Ordinum, Graduumque distinctio exulare jubetur, male ominata hæc opinio inclinat. Ceterum in omnibus, etiam Ordinatissimis Regnis, ac Societatibus, munerum, graduumque discrimen obtinet: ut alii aliis altiores, eminentioresque sint, per inferiores ad superiores ascensus pateat, quin ea, quæ hic exaggerat Noster, quisquam Legislator pensi habuerit.

Ursino dimisso ad Canonicos redit Noster, & non nihil dignitatis, alia alibi Capitula habere notat. Archidiaconus quippe alicubi jure suo in promovendorum mores inquirit. Item eminet inter Examinatores Synodales, & duplici gaudet suffragio. Alibi Canonicus Thesaurarius perpetuus est, & suo marte rem gerit. Est alibi Canonicatus, cui Monialium cura est adnexa: nihil ibi Vicarius Generalis sibi adrogat. (Id nescio, utrum

ex

ex capite sibi confixerit suo; certe nihil hujusmodi in his, quæ ad nos proxime accedunt, Capitulis cernere est). Sunt & Capitula, in quibus Canonici aliquibus mensibus vacantes conferunt Canonicatus. *O imbecilles semper Canonici Aversani! saltem aliquid juris usurpatione, contentione, præscriptione* (hanc sacrilegam vocem superius dixerat), *dolo malo, astu, calliditate, furto, rapina vobis comparavissetis!* *Nihil omnino. Penitus spoliati, egentes*. Atqui nonne tu ipse ex hoc capite tantopere in Canonicos efferbuisti? Eos exemptiones affectasse criminatus es, in Episcopos immorigeros jugum Episcopale excussisse? Nonne hoc nomine Parochos tuos superbos extulisti; illos magnificasti, pacificos fuisse, permodestos, nihil umquam ab iis turbatum? Cur ergo, quod Parochis summæ laudi ducis, id Canonicis nostris vitio vertis? Nonne hominum es inconstantissimus?

At *Canonicos omnes* Episcopus aliquis, si libuerit, *Episcopali palatio fugabit: illos jure excipiendi Sacras Confessiones interdicet, & qui maximus terror est, arcebit longe Latio, hoc est, a Monialium Monasteriis, nec Sacrum quidem in harum Ecclesiis illos facere permittet* (ipsi certe, non aliis, qui sapiunt, hoc Latio exulare terror est: unusquisque enim, prout affectus est, judicare consuevit), *censura in Clericorum mores spoliabit*. Id vero, quod minitatur Noster, nec accidit aliquando, neque contin-

get umquam. Quis enim tam insulsus, tam rusticus, tam male moratus, ut Canonicos omnes, idest membra ipse sua ab se abscindat, abalienet? Sed contingat porro. Quid tum? Canonici summa id animi compositione, ac tranquillitate auferent; quippe qui compertum habeant, modo nihil admiserint, quo aliquid tale commeruerint, gravi de onere levari, & Episcoporum referre, quamplurimos in Episcopali ferenda sarcina socios habere, & adjutores: nonulla esse, quæ sine illorum consortio Episcopo aggredi minime liceat, ut nulla cujusvis libidine hoc jure cadere umquam possint.

Canonicis dimissis ad me, qui in signum sum, cui contradicit, regreditur. Duo sunt postrema accusationis capita. Primum de Feudali Jure, quod Capitulo Nostro adjudicavi ex veteri Scriptura, quæ in Tabulario custoditur. Dicit ibi Simon Sclavius Civitatis Aversæ, *se, & alios successores suos homines fuisse Congregationis Ecclesiæ S. Paulli*; *ac proinde præstat hominis juramentum ad faciendam, ac percipiendam justitiam, dominium ejusdem Congregationis recognoscendo, pro quo debeat annuatim reddere ipsi Congregationi tarenum unum Amalphiæ Kalendis Majis*. Hoc monumentum ad Capitulum pertinere non posse, obtendit Noster, quod Capitula non Congregationes, sed Collegia nuncupari mos sit; ad Congregationem nihil minus: *nam Congregationi Clericorum pauperculæ jus Feudale*?

At

At bona ſua pace, Facta, quæ publicis Tabulis conſignata ſunt, non conjecturis, & ex eo, quod veri ſpeciem alicui imperito habere non videantur, ſed aliis publicis tabulis elidenda ſunt. Nam ut illud detur, ad Congregationem Clericorum hoc documentum attinere; certe ex illius paupertate numquam conficietur, jus Feudale non potuiſſe donatione, aut alio quovis titulo adipiſci. Feudum iſtud non certe nobiliſſimum, ac primi generis, ſed tenuiſſimum, ac infimæ notæ, qualia etiam modo nonnulla in Samnio vigent. Deinde ad Capitulum Feudum pertinuiſſe & dixi, ac confirmo. Nam etſi uſitatiſſima eſt nomenclatura illa, ut Collegia Canonicorum Capitula appellitentur: id conſtans non eſt in noſtris Tabulis; perſæpe enim & Congregatio Capitulum dicitur, ea fortaſſe de cauſſa, quod Tabelliones minus Canonicæ periti utrumque corpus nomine confunderent.

Accuſat deinde, quod Urbis noſtræ ornamenta recenſens, id ſummæ illius laudis loco duxerim, quod numquam fuerit idololatrica ſuperſtitione polluta, quod in Chriſti fide fundata fidelis in ſuo ipſo natali ſurrexerit. Ad quæ exclamat: *hem! hoc ſcilicet deerat nuperæ Civitati XI. ſæculo extructæ, ut etiam Idololatria fœdaretur. Et ubi tunc Idololatria in tota Italia?* At non ego id mirabile prædicavi, quod XI. ſæculo excitata Civitas Chriſtiana enaſceretur, ſed Averſam circumpoſitis Urbibus

 com-

componens, hoc eam præ aliis habere decoris affirmavi, quod cum aliæ ab antiquitate, a magnitudine, ab opibus commendarentur, hæc eo nomine illis præstaret, quod aut sola, aut pœne sola statim ab ortu suo Christianis sacris dedicata sit, quod nemo est, quod non in summa gloria ponat. Ne quis denique impune sibi fuisse, gloriari posset, sua est etiam Northmannis Fundatoribus portio. *Utinam alios a Northmannis habuissemus parentes! fuissent aliis manibus hujus Urbis mœnia extructa! Fuit illis in deliciis honesto utile præferre; hinc insignes fœdigrafi: ignotum, nec sanctum apud illos amicitiæ nomen*. Calabronis instar Anonymus stercore pasci in deliciis habet. Sunt multis nominibus commendati Northmanni Duces, pietate videlicet adversus Deum, fide, religione, in Ecclesias munificentia. Sunt & ob vitii nonnihil vituperandi; nam quidnam est ab omni parte beatum? Decora illa libenter præterit Noster; hæc, quæ dedecori esse queunt, exaggerat, extollit, amplificat. Vide insolens, & peculiare, in maledicentiam proclive ingenium hominis.

In Appendicis Excursionem

CASTIGATIO.

1. *In plerisque recoquit crambem Anonymus.*
2. *Ludovicus Habert explicatus, sibique conciliatus.*
3. *Cardinalem de Luca, ac Thomassinum pessime excipit Excursor.*
4. *Epilogus Operis.*

SI modico sexcenties eadem repetendi labore victoria staret, vicisset Excursor Noster. Sed non hic labor, non hoc opus est: rationis inops, verborum ditissimus est, quibus easdem res diversis effert modis. Ego igitur, cui persuasum est, repetitionibus id unum effici, ut fastidium, ac molestia Scriptori, ac Lectori creetur; in id unum incumbam, ut si quid affert novi, aut quod novitatis speciem habet, hoc unum refellendum suscipiam. Nolim tamen hic principio falsam ab eo gratiam inire, eumque in falsum gaudium conjicere. Nam lætatum se non mediocriter affirmat, quod hic in Appendice ejurarim, quæ de forma regiminis Ecclesiastici in Opusculo scripseram pag: 9. splendide hic me de Petri Pontificio, deque Romana Cathedra loqui: *nimirum non aliter schismati, ac dissentionibus, quæ forte*

 obo-

oborirentur, obviam iri poterat, nisi uno Capite, unitatis centro constituto, ac Monarchici regiminis forma. Quis, si Nostrum audiat, hæreseos me non jure insimularet in iis, quæ in Opusculo docui? Nam si hic demum in Appendice Romanam Cathedram unitatis centrum cum tota antiquitate agnosco, ergo antehac aliter senseram, aliter docueram, aliter scripseram. Quæ major, quæ atrocior injuria laudis specie larvata? In solo se rerum cortice continere consuevit Noster. Putavit nimirum paria me cum Edmundo Richerio, ac Simone Vigorio, qui illius systema adoptavit, sentire. Hi enim ut Ecclesiam funditus everterent, Monarchiam ab ea penitus eliminarunt, puro, putoque Aristocratico regimine suffecto. Ergo sic se res habet. Ego & semper, & hic, & alibi, & ubique, & ad supremum usque spiritum, ut Fidei dogma & tenui, ac tenebo, Romanam Ecclesiam unitatis centrum esse, omnibus aliis Ecclesiis eminere; immo & toti Ecclesiæ principari, in eamque suprema jurisdictione potiri. Hanc Monarchiam citra Fidei dispendium negari non posse. Ita constitui a Christo Domino necesse omnino fuisse, ut schismati, ac dissentionibus via intercluderetur. Num vero Monarchia hæc pura sit, an Aristocratia temperata, ita ut sub uno Summo Capite ceteri etiam Præpositi jurisdictionem a Christo αμεσως nanciscantur, sed per Ecclesiæ ministerium; id sane ad Fidem mi-

ni-

nime pertinet. Sententiam hanc non exteri modo Theologi, sed Nostrates etiam tuentur, inter quos Bellarminus. His adstipulatus sum in Opusculo, & hic in Appendice minime revocasse confiteor. Hæc duo permiscuisse aut inscitia est, aut dolus malus, ut calumniæ, & obtrectationi paterem.

Incipit statim Anonymus ad ingenium redire, Ferre se posse negat, me in sententia perstare mea de Presbyterio in Canonicos transfuso. Ignoscat Noster. Nondum ad manus egregium Opus suum habebam, quo perdoctus a sententia possem discedere. Quid quod ea sum pervicacia, aut vecordia, ut etiam post ejus ventilatas rationes, certum sit ab suscepta opinione non abire; non enim ita ei gratificari libet, ut Canonicæ disciplinæ imperitissimus audiam. Tu quid novi hic interim affers? *Quæ est*, ais, *ista tam subita, tam mirabilis mutatio, ut ab Animarum Curatoribus in Canonicos Animarum cura spoliatos evolarit Presbyterium?* Hoc sane vietum est: Responsum est, non Animarum cura ita constitui Presbyterium, ut sine ea vel non constiterit, vel constare nequeat. *Idem Episcopus, iidem Curati, idem regimen, nihil accessit, nihil decessit, quod Presbyterii naturam immutarit*[1]. Tota erras via: decessit non parum, ex quo Curati suas seorsum rationes instituentes, de Clero esse desierunt; quo factum est, ut non unum amplius cum Episcopo Corpus constituerint. Cetera in eamdem sententiam,

 quæ

quæ verbosissime disputat, satis superius occupata sunt.

Unum est tantummodo, quod explicatione egeat, ne imperitis imponatur; illud scilicet, quod repetit ex celeberrimo, meoque familiarissimo Theologo Ludovico Habert Cap. *6.* de Ecclesiæ Hierarchia. Ergo hic relato Tridentino Can. *6.* sess. 23. *Concilium*, inquit, *definit in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, eamque constare Episcopis, Presbyteris, & Ministris. Atqui Presbyteri eo loci, non possunt intelligi, nisi Parochi.* Subsistamus hic tantisper. Si hic loci Presbyterorum nomine intelligantur soli Parochi, ergo Hierarchiam opus erit Ecclesiastica, non divina Ordinatione institutam confiteri: nam certe Parochi a Presbyteris non distant charactere, idest jure divino, sed jurisdictione sola, & hac ordinaria; quæ (completa nimirum) non est a jure Divino, sed Ecclesiastico. Pergit laudatus Theologus: *siquidem alii* (Presbyteri) *vel jurisdictionem habent, vel non: si primum, hujusmodi jurisdictio est delegata, ac proinde non eis competit jure divino, sed ex Episcoporum beneplacito.* Ergo cum per plura sæcula Presbyterorum omnium jurisdictio esset delegata (omnia quippe tunc ministeria Hierarchica ad nutum Episcoporum per Presbyteros gerebantur; & ordinaria jurisdictio res est non nimis antiqua), nullis tunc Presbyteris competebat jure divino; ac proinde

de exulabat tunc ab Ecclesia Hierarchia divina Ordinatione instituta. Quo quid absurdius? *Si secundum, subditos non habent, nec proinde Sacrum principatum exercent*. Atqui subditos habere, vel minime habere, ab Ecclesia proficiscitur, non a jure divino. Ergo sine Ecclesiastica jurisdictione Presbyteri jure divino aliquam habent jurisdictionem, per quam ad Hierarchiam divino jure institutam pertineant. Hæc nullo modo conciliari possunt, nec laudatus Theologus sibi constare, nisi in Presbyteris omnibus jurisdictionem aliquam agnoscamus characteri inhærentem, inchoatam tamen, incompletam, imperfectam, per Ecclesiam complendam subditorum collatione. Sed de hac re fusius in Appendice. Atque hoc, quod modo dicimus, idipsum est, quod Habert uno verbo docuerat, asserens Presbyteros omnes locum in Hierarchia, licet *imperfecte*, obtinere. Non ergo Canonici Animarum cura liberi, nisi per summum nefas, Hierarchia expungi queunt.

At Parochorum jurisdictionem a Christo immediate proficisci agnoscit Habert loco citato. Sed addit sapienter, quoad *institutionem primariam*: quod nihil aliud est, nisi *imperfecte, & incomplete*; ab Ecclesia vero *quoad dispensationem, ac limitationem; idest perfecte, ac complete*. Adeatur memorata Appendix.

Sed urget Anonymus ex eodem Gallo Theologo Parochorum cum Episcopo tamquam

quam Capite conjunctionem. *Discant Parochi, quae cum Episcopo debeat esse eorum conjunctio, quae animorum consensio... qualis nimirum requiritur caput inter, & membra organica ad Corporis unitatem, valetudinem, & pulchritudinem*. Recte: sed haec non id conficiunt, quod contendit Noster. Ecce enim germanus illorum sensus. Nempe cum maximae Societates ex aliis minoribus, ac minoribus sub se compingi soleant, fit hinc, ut qui maximae praeest, ita omnibus conjunctione nectatur, ut conjunctio haec laxior sit, vel angustior, quo magis, minusve ad caput accedunt. Quemadmodum si in aquas lapillus incidat, statim circuli excitantur plurimi inter se concentrici, ut vocant; ita tamen, ut semper ii sint ampliores, qui magis a centro recedunt, angustiores, qui accedunt magis. Ita quoque Romanus Pontifex omnium amplissimae praeest Societati, Catholicae Ecclesiae, cumque ea conjunctionem latissimam habet. Ut Patriarcha Occidentalis angustiorem cum toto Occidente connexionem habet. Adhuc angustiorem cum Urbibus suburbicariis ut Italiae Primas. Angustiorem aliam cum Urbibus circumpositis ut Romanus Metropolita. Multo strictiorem cum Romana Urbe ut ejus Episcopus. Angustissimum denique cum sacro Cardinalium coetu, tamquam Presbyterio, Senatu suo. Vide quot conjunctiones, quot Societatibus Caput sit Romanus Pontifex; una porro haec

pe-

postrema strictissima est, per quam fit, ut peculiari quadam ratione Presbyterii sui Caput sit, & Episcopus. Idem prorsus obtinet in politica Societate, in qua etsi Rex Societatibus minoribus Caput esse non dubitatur, cum sacratiori tamen consilio suo ita conjungitur, ut ejus præcipue caput sit, illudque cum eo præcipuum, ac peculiare magis conflet Corpus. Res non aliter in Episcopis sese habet. Cum omnibus suæ Diœceseos Fidelibus, cum Clericis omnibus, cum Parochis, cum Canonicis conjunctionem habet; sed conjunctionum istarum maxima est hæc postrema, quam cum Canonicis habet; quippe cum quibus unum Clerum, corpusque unum constituit. Hic genuinus est sæpe memorati Theologi sensus, quem Noster minime assecutus, miratur, qui cum præmissa Parochorum cum Episcopo conjunctione stare possint, quæ ipse Habert propugnat de Senatu Episcopi in Canonicos Animarum cura carentes translato. Adeatur Theologi locus a me in Appendice productus pag. 175.

Fastidiosum se velle esse negat Anonymus; neque hic se regerere, quæ de Jurisdictione Capituli Episcopo e vivis sublato fusius antea disputavit. Dum ei ingentes habeo gratias, ipsum eodem tempore imitabor, licet diversa de caussa: ne scilicet justæ commotionis rationem habeat æquus Lector, si nempe doctissimum virum Cardinalem de Luca indignissime a nostro Aristarcho exceptum

vi-

videret. Nam *somnia illum narrare* satis inverecunde pronuntiat, cum totum jus Cathedraticum tam in *Habitu*, quam in *Exercitio* remanere penes Capitulum confidentissime, ut ipse loquitur, affirmat. Quis tantam audaciam non stomachetur; præsertim cum nullis momentis prolatis sibi gratis credi postulet? Quam porro Dictatorio modo peremtorie pronuntiat: *detur id necessitati, quoad unicum illum actum* (electionis scilicet Episcopi)! *An Pontificia Sede vacante affirmaveris, potestatem, quæ in Pontifice erat, ad Cardinales recidere, quasi integrum sit his novos Religiosos Ordines probare, in Sanctorum numerum aliquos referre, anathemate falsas doctrinas percutere, cetera? Nihil prorsus*. Quam imperite ea hic coacervat, quæ ipsis Episcopis superioribus Sæculis permissa erant, antequam cognitioni suæ eas Pontifices reservarent, iis prætermissis, quæ nativo quodam jure ad Pontificem spectant. *Ad solam Pontificis Electionem fas est illis devenire*. Ergo toto interregno, quod ad annos quoque protendi insolens non est, suprema carebit Ecclesia potestate; nullaque erit ea expediendi via, quæ Episcopalem superant facultatem? *Ad solam Pontificis electionem fas est illis devenire*. Atqui alia etiam curabat Romanus Clerus Cypriani ætate. Ab ipso quippe consultus est de lapsis in communionem accipiendis; deque hoc negotio Fabiano demortuo deliberat. Id & ab hodierna disciplina non abhorret, ut a Romani

Pon-

Pontificis Presbyterio ad Episcoporum Presbyteria hæc non incongrue pro modo suo accomodemus.

Rem ita in Appendice concludebam: *totius rei summa huc redit: Apostolicis ab usque temporibus Ecclesia Senatum habuit Presbyteris compactum, Episcopo suo adsistentibus. Sed Tridentinis Patribus fixum ratumque est, hunc Senatum hodiernos Canonicos implere: ut vere Ecclesiæ Senatus dici possint.* Sess. 23. *Ref. cap.* 12. *Hi igitur veteri illi Presbyterio succedunt legitime.* Quid hac ratiocinatione solidius, aptiusque? Sed Nostro ex more non placet. *O ineluctabile argumentum!* irrisorie exclamat, *plane Achilles est invincibilis.* Illud elevare nititur lepida narratiuncula adolescentis Clerici, qui cum ab Examinatore rogaretur, num Ostiariatus esset nec ne Sacramentum, omni asseveratione affirmavit, addiditque Catholica fide id retinendum. Nam de fide est, Ordinem esse Sacramentum, gratiamque conferre, definiente Florentino: definit iterum Tridentinum Ostiariatum Ordinibus accensendum. De fide est ergo Ostiariatum esse Sacramentum. *Risimus omnes*, subdit: *dispeream, si dissimile sit Theologi Nostri argumentum.* Quam vereor, ut dispereat tandem Excursor. Nam quam mihi narrat hic Scitulus Noster similitudinem? Ordines septem sunt, ac recte constat Florentina definitio, si aliquis ex hisce Sacramenti rationem habeat: nam non

de-

definit, Ordines hosce ad unum Sacramentis accensenda. At Senatus Ecclesiæ unus est, unus fuit; Presbyterium unum semper ab initio Ecclesiæ ad usque hæc nostra tempora: At hic Senatus unus, hoc unum Presbyterium ab hodiernis Canonicis ex Tridentina definitione impletur. Quid ergo desideratur amplius, quin concludamus, hodiernos Canonicos veteri succedere Presbyterio, ejusque jura potiri.

Sed se ludos fecisse hactenus fatetur Noster. Pulcherrimum sane inventum, ut si minime res ei succedat, se jocatum esse possit dicere. Ergo omisso ludo admittit Senatum illum ab Apostolicis temporibus Ecclesiam habuisse. Sed dicit ex Parochis fuisse conflatum. At Tridentinum etiam ex his conflatum, qui Parochi non sunt, adhuc Ecclesiæ Senatum & confitetur esse, & agnoscit quam disertissime. Ergo quocumque se convertat, semper instituta firme constat ratiocinatio. Sed sit Senatus, ait, hodiernum Presbyterium: *habes* in I. Part. *principio, quomodo id accipiendum*. Ibi Senatum esse ait ex indulgentia Episcoporum. Os durum! & Tridentina hæc lex quid cum indulgentia Episcopali habet commune? *Hierusalem*, subdit, *etiam post Deicidium Sanctam Civitatem vocat Evangelista*. Quid inde? Ut enim etiam post Deicidium vere sancta & fuit, & dicta est Hierosolyma ob multas rationes, sed præcipue, quod nascen-

tis

tis Ecclesiæ primitias contineret : ita hic noster vere Senatus, etsi nonnulla ex antiquis juribus suis exolevere.

Sed hisce ineptiis refellendis, satis te amice Lector, defatigavi. Hinc non sine plurima gratiarum actione statim te dimittam, ac coronidis loco in duabus rebus audaciam, & impudentiam Anonymi stomachatus fueris. Prima sese prodit, dum celeberrimum, gravissimumque Scriptorum, quique in Canonica re lucidissimum instar est, Thomassinum pessime excipit. De hoc, quod ex Emeritensi Concilio asseruisset, permissum Episcopis fuisse, ut Parochos ad Canonicatum transferrent in hunc modum deblaterat: *me ad insaniam adduceret Scriptor hic .... unico impetu evertit, quæ ipse herculeo labore pro suis Presbyteris, Diaconibusque undique corrasit. Thomassinus ex pravo semel posito principio pejora deducit consectaria, oblitus sui, oblitus Lectorum*. Crimine ab uno disce reliqua. Quid hic mihi faciet homulo, qui summis non parcit viris? Væ Thomassino, qui in Nostrum incidit Logicum.

Alterum est, quod de Monialium Confessariis habet, arrepta inde occasione quod dixeram, ab Episcopis solere Canonicis committi satis delicatum Monialium regimen. Etsi pudet, quæ habet, exscribere, faciam tamen, quod honestissimos e Clero homines offenderit maledica hominis impudentia: *Quoad Moniales, quando hic rei cardo vertitur, & has propter, non minus quam*

pro

pro Helena illa Argivi, Troesque delirabant, insaniunt Parochi, & Canonici;

... Longa est injuria, longæ
Ambages, nec summa sequi fastigia rerum
Expedit .....

Quid hac reticentia fœdius? Quid universo Clericali cœtui injuriosius? Quot in illo Helenæ nomine suspiciones? Quam non ex illo verbo *insaniunt*, augescunt? Quid si in Laicorum, quid si in incredulorum manus infamis hæc pagina incidat?

Sed nunc finis esto. Illud affirmare tuto posse videor, in hac tota consarcinatione rerum ineptissimarnm nihil solidi, nihi firmi, nihil probe deducti præter calumnias, convicia, maledicta contradictionibus patentissimis sparsim interjecta offendisse, præter illud, quod ex Piana Constitutione (licet non de sacco suo farina fuerit) ad invidiam mihi apud pios homines conflandam arcessit, & ad ravim usque qua jure, qua injuria ingeminat. In quam tamen Sanctissimam Constitutionem, quam veneror, quam amplector, quam deosculor, minime gentium me impegisse certo certius confido, ac pro explorato habeo, aliisque probasse non dubito.

Neque enim dubium est, quin Dogmaticæ Constitutiones ex erroribus, quos configunt, intelligendæ sint; eademque propositio & Catholico, & hæretico sensu potest efferri. Exemplum esto illud ex Evangelio: *Pater major me est*. Si a Catholico propositionem audieris, nihil offenderis; illud quippe ad hu-

humanam naturam Verbi referri statim intelligis. Si Arianus idipsum usurpet, non potes virus non agnoscere. Hoc quippe ille argumento pugnat, ut divinam Verbo naturam abjudicet. Non dissimili prorsus modo, Presbyteros in Conciliis Œcumenicis sedere consultare decisivo suffragio potiri, innoxie Catholicus dicet; quod hoc illis jus quæsitum ex privilegio, & Ecclesiæ indulgentia, non vi Ordinis, continuo affirmamabit. Idem prorsus asserit Jansenista, sed ex illo perverso principio, quod Presbyteris pares sint Episcopi, & vi Ordinis æquale jus ambobus sit.

Nihil moliri posse sine Presbyterii consensu, si gravioris momenti res sit, & Canonista Catholicus, & Jansenista contendet. Hic eadem pessima ratione illa perfectæ æqualitatis inter utrumque. Ille vero ex sola Ecclesiæ disciplina, & Conciliorum auctoritate id repetit, qua factum est, ut Episcopalis potestatis usus quibusdam limitibus circumscriberetur. Hinc illud sequitur, ut hanc disciplinam vel partim, vel totam revocari ab Ecclesia posse Catholicus assentiatur, præfracte neget Jansenista: non alia sane de caussa, quam quod in eodem argumento diversa uterque insistat via: ille Catholice, hic hæretice sentiat.

ADDENDA.

PErvetusta illa disciplina, qua nihil gravioris momenti, nisi ab universo Presbyterio, Episcopo præsidente, expediebatur, adhuc supererat Sæculo XII. in Ecclesia Romana antiquitatis præ ceteris retinentissima. Nimirum Cardinales, Romanorum PP. Presbyterium, Pontificum literis subscribebant, de quibus apud Ciacconium in Innoc. III. Honor. III. Greg. IX. leges: *NN. Card. subscripsit, firmavit, subscriptione firmavit*. Immo nonnumquam ad subscribendum minis, ac terrore adigebantur, ut in Paullo II. idem Ciacconius memorat ex Cardinali Papiensi, qui de illata vi quiritat, pag. 1054. edit. Ven. Ut interim illud omittam, quod ad nostra usque tempora Bullis, quas *Dogmaticas* vocant, Cardinales universi subscribunt, uti videre est in Bullario.

Ad Eminentem, quam in singulis Urbibus Episcopalibus Presbyteria una cum Episcopo curam gerunt, transferri non incommode possunt, quæ doctissimus æque ac pientissimus Card. Papiensis sub Pio II. edisserit in hæc verba: *Plebem Cardinalis non curat; præcepta quotidiana Parochianis non dat; ad nullum ministerium Sacrorum se Populo exhibet: solo consilio Apostolicæ Sedi adscriptus, instar quoddam secularis Principis habet*. Apud Ciaccon. ibid.

Sum-

Summa Episcopi cum Presbyterio, sive cum Canonicis conjunctio elucet *in Decr. Nulla* 2. *de Concess. Præbendæ*, qua Episcopi, & Canonici mutuam jubentur in conferendo, si qua forte contigerit, negligentiam supplere: *Si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur: quod si ad Capitulum pertinuerit, & infra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus secundum Deum cum religiosorum virorum consilio hoc exequatur*.
„ Hoc ibi statuitur, *inquit Ferraris V. Beneficium art.* 3. *n.* 94, ob magnam communionem, quæ inter Episcopum, & Capitulum tamquam Caput, & membra ejusdem Corporis mystici intercedit, ut merito unius defectus per alterum suppleatur.

LETTERA DEL SIGNOR B. B. ALL' AUTORE.

Illustriss. Signor Canonico

SE grande fu il piacere, che ſentii in leggere la voſtra elegantiſſima, e dottiſſima Operetta su i diritti, e gli ufficj de' Canonici delle Chieſe Cattedrali, che due anni ſono deſte alla luce, niente inferiore, anzi più grande è ſtato il piacere, che ho provato in leggere queſt' altra non meno della prima dotta, ed elegante, che avete in queſt' anno data alle ſtampe in riſpoſta all' ingiuſto Contradittore della ſuddetta voſtra prima operetta. Imperciocchè nell'una, e nell' altra e la ſomma eleganza dello ſtile, e le ſodiſſime dottrine, che da veri, ed indubitati principj dedotte, con legittimi, ed ordinati raziocinj vengono ſtabilite, e mirabilmente tra di loro diſpoſte, producono quella bella armonia d'iſtruire allettan-

tando, che caratterizza le opere degli uomini grandi, e le rende al sommo pregevoli. Anzi in questa seconda ho ammirata una cosa di più, vale a dire, la vostra gran moderazione in rispondere al vostro Antagonista. E di fatti egli nel suo opuscolo, che da lui è intitolato *Excursio*, cioè *Scorsa*, o per meglio dire *Scorreria*, fa veramente la comparsa di uno Scorridore: mentre rallentando le redini al suo igneo temperamento si lancia con furia contro alla vostra prima operetta sotto al falso pretesto di essere stato offeso nella medesima, ed usa le più ingiuriose, e villane maniere non solamente con Voi, ma con altri dottissimi uomini ancora da Voi riferiti, i quali manifestamente si oppongono alle sue mal fondate opinioni. Voi al contrario facendo uso della cristiana carità non badate agl' inetti suoi sarcasmi, alle sue insipidissime irrisorie espressioni, ma con placidezza proccurate soltanto d' illuminare la sua mente, e fargli ravvisare quei grossolani errori, in cui spesse volte inconsideratamente inciampa per ragione de' suoi furiosi trasporti. Dunque per tutti questi riguardi le vostre operette sono pregevolissime, e specialmente questa seconda; ed io sommamente vi ringrazio del dono, che me ne avete fatto, e vi assicuro, che da me sono considerate come due preziosissime gemme.

In quanto poi al comando, che mi date, che risponda io alla satira, che mi fa nella

fine del suo opuscolo per ragione di quell' epigramma, che io e per dimostrare quella gratitudine, di cui ogni discepolo è debitore al suo Maestro, e principalmente per far giustizia, per quanto da me si poteva, al vostro merito, composi in lode della vostra prima operetta, ed in biasimo della maldicenza, non già di qualche persona in particolare, mentre sino a quel tempo niun maledico ancora era comparso in pubblico, nè io credeva che ne sarebbero comparsi in appresso: quantunque avea risoluto di non rispondergli affatto, nondimeno perchè Voi comandate così, io son pronto ad ubbidirvi, e procurerò nella mia risposta fargli conoscere quanto irragionevoli siano gli obbrobrj, che mi vengono da lui fatti, facendogli osservare nel tempo stesso, che la indebita correzione, che egli fa del mio epigramma, conferma tutto ciò, che si asserisce nel medesimo, e qualche cosa ancora di vantaggio.

Egli dunque il nostro Scorridore volendola fare anche da Censore primieramente chiamà il mio epigramma inettissimo, e senza provar la sua asserzione passa ad altre censure. Adagio, Signor Censore, non correte con tanta fretta. Voi già sapete, che la Metempsicosi di Pittagora al presente non solo si tiene come una favola, ma bensì come un errore contrario al Dogma, e per conseguenza a niuno è potuto venire in testa, che l'anima di Pittagora sia passata in Voi. I vostri

ſtri seguaci coll' *ipse dixit* non saranno creduti. Dovevate loro somministrare anche le pruove della pretesa inettezza, e dimostarne i difetti o nelle espressioni, o ne' sentimenti, o nella connessione de' medesimi. Avete voi adempiuto a queſto obbligo indispensabile, a cui vi assoggettano le leggi della buona Critica? Certamente che no. Dunque cavatene voi ſteſſo la conſeguenza, ed io intanto paſſo all' altra censura.

In secondo luogo il mio Censore chiama ridicolo l' impegno, che dimoſtro di occultare il mio nome sotto al doppio B, e ſe ne fa molta maravaglia per non intendere la ragione, che mi ha indotto a ciò fare. Affinchè io non comparisca ridicolo al mio Catone, ed egli ceſſi di maravigliarſi, ecco pronta la ragione della mia condotta. Ho fatto ciò, perchè sono stato sempre alieno di far comparire in pubblico le mie compoſizioni, affin di allontanare da me ogni qualſivoglia menoma ombra di jattanza, di cui sono nemico capitaliſſimo. Quindi non essendomi riuscito di farlo anche in questa occasione, per una certa convenienza dovuta a chi la meritava, ho proccurato almeno di celare il mio nome. Se una tal ragione fosse venuta in testa al mio Censore, certamente che non avrebbe chiamata ridicola la mia condotta, nè si sarebbe maravigliato cotanto. Ma come venirgli in testa, se il suo natural è del tutto contrario al mio? Egli non solamente non usa alcuna riserba nel dare

X 4 alle

alle stampe i suoi schediasmi (tale egli stesso vanta essere la natura de'parti della sua fecondissima mente), ma per maggior pompa s'industria di dedicarli a Personaggi ragguardevolissimi, (non so se con buona volontà de'medesimi), e nel dedicar loro questi, senza punto arrossirsi, ne dedica altri ancora esistenti nel suo scrigno, come egli dice, (1) e come io suppongo futuri, o possibili. Quindi è, che egli nel censurarmi per la detta mia condotta, non si contenta della sola taccia di ridicolo, ma passando più oltre m'intacca benanche di Giansenismo. Mi reca stupore un tale entusiasmo! Il nostro Scorridore dovunque gitta lo sguardo, altro non vede, che Giansenismo, a somiglianza di coloro, che patiscono d'itterizia, ai quali ogni qualsivoglia oggetto comparisce tinto di giallo. Dunque se corre il paragone, e negl'itterici un tal fenome-è cagionato dalla bile, da cui la massa de' loro fluidi è infetta, vi sarebbe qualche motivo di sospettare, che egli sia intinto di Giansenismo. Io nondimeno nè credo, nè sospetto una tal cosa. Soltanto gli ricordo, che i Giansenisti erano soliti cambiare i loro nomi per furberia; il che non ho fatto io, ma solamente l'ho taciuto per lo suddetto incolpevole motivo. Dunque non ho che fare coi Giansenisti. Passiamo alla terza censura.

Il

(1) *Excurs. pag. V. versu 7., & seqq.*

Il credereste, Sig. Canonico? In terzo luogo non ha ritegno di asserire, che il detto epigramma sia un parto nato in casa vostra, e che l'anonimo, a cui viene attribuito, e di cui pare, che voglia indicare di essere già venuto in cognizione, sia stato a tal fine da Voi prezzolato; mentre, come egli dice, di una tal cosa già si è incominciata a spargere qualche voce per la Città. Niun altro poteva spargere una tal voce per la Città, che il mio Censore, il quale giudicando degli altri *prout ipse affectus est*, ed avendo egli praticata una tale non molto onorifica azione in persona di quel buonuomo, che sta sottoscritto al *Giudizio sul Giudizio*, siccome egli stesso si è andato millantando, credeva, che gli altri ancora avessero le stesse maniere di procedere. Passiamo avanti. Dopo di avermi fatto un tal complimento soggiunge immediatamente il mio Censore dicendo, esser possibile, che l'epigramma non sia opera vostra, ma dell' anonimo malamente occultato sotto al doppio B: contuttociò egli riprende gravemente l'anonimo, essendochè, a suo avviso, *turpissimam per assentationem* ha composto il detto epigramma. Potrei molto bene rendere la pariglia al mio Censore per questa insoffribile indegna maniera, con cui mi tratta; ma no, forse per la fretta non ha ben ponderata la sua proposizione. Voglio credere, che l'ingiuria, che mi fa, sia soltanto materiale, e non già formale. Che

però

però con moderazione gli rispondo, che non è adulatore colui, che loda il bene, e biasima il male, la qual cosa appunto si è da me praticata nel mio epigramma.

Ma finalmente stomacato il nostro Scorridore dalla inettezza del mio epigramma, nè potendo soffrire, che tal qual è sia sottoposto agli occhi de' Leggitori, con aria Magistrale dando di piglio agli occhiali, ed alla penna passa a farne la correzione nella maniera, che siegue. Il mio epigramma diceva:

„ *Jura Sacerdotii dum prima ab origine ducis;*
„ *Et vera illius munia quemque doces;*
„ *Nil nisi communem Cleri jam pene labantis*
„ *Causam agis, in proprio quem cupis esse gradu.*
„ *Hinc tua, Vincenti, perdocta ac plena nitoris*
„ *E Clero quisquis carpere scripta volet,*
„ *Se certe aut Latii prodet sermonis egenum,*
„ *Aut proprii ignarum juris, & officii.*

Egli il corregge nella seguente maniera:

„ *Jura Sacerdotii dum prima ab origine ducis;*
„ *Et falsa illius munia quemque doces;*
„ *Nonnisi communem Cleri rem pene labantis*
„ *Perdis, quem proprio dejicis usque gradu.*
„ *Hinc tua, Vincenti, fucati plena nitoris*
„ *E Clero quisquis carpere scripta volet,*
„ *Se certe haud Latii prodet sermonis egenum,*
„ *Haud proprii ignarum juris, & officii.*

Vediamo se il nostro Scorridore nella correzione dell'epigramma sia riuscito più felice di quello, che lo è stato nelle precedenti

denti censure. Esaminiamo il primo distico. Nel primo verso il mio Correttore non ha mutato niente. Dunque egli confessa con me, che Voi avete dedotti dai loro veri principj i dritti, e gli Uffizj del Sacerdozio. Ma con questo primo verso come accorda il secondo, in cui colla sua correzione asserisce, che i detti diritti, ed Uffizj da Voi insegnati, siano falsi? Si è dimenticato egli forse della sua Logica, la quale gl'insegna, che le dottrine dedotte dai loro veri principj non possono essere, che vere? Ma come è possibile, che la memoria del mio Correttore, la quale sempre ha fatti prodigj, in questa occasione si è dimostrata così debole? Dunque che debbo io dire? Ne deduca egli stesso la conseguenza, se pure la sua Logica, non sia una Logica singolare, diversa da quella di tutti gli altri uomini.

Passiamo ad esaminare il secondo distico. Io nel mio epigramma asseriva, che Voi nella vostra operetta altro non fate, che difendere la causa comune del Clero in questi nostri tempi, in cui non fiorisce come prima; poichè spiegando quali siano i suoi dritti, ed uffizj, dimostrate il vostro impegno in sostenerlo nel proprio grado. Egli al contrario il mio Correttore dice, che Voi date un urto al Clero, che già è per crollare; e facendolo decadere dal proprio grado, lo mandate a precipizio. Non dico niente della falsità di una tale asserzione, mentre si può facilmente conoscere con dare

una

una sola occhiata alla vostra non mai a sufficienza lodata operetta: soltanto prego il mio Correttore, che mi faccia il favore di spiegarmi la forza delle parole *dejicere proprio gradu*. Credo, che non ho errato prendendole nel senso di far decadere dal proprio grado; mentre *dejicio* è un verbo composto da *deorsum*, e *jacio*. Dunque affinchè possa verificarsi, che da Voi *dejectus sit Clerus proprio gradu*, dovrebbe dimostrarsi, che nella vostra operetta gli avete assegnato un grado inferiore a quello, che realmente gli spetta. Or egli nella sua *Scorreria* altro non fa, che declamare altamente contra di Voi dicendo, che avete innalzato il Clero ad un grado molto superiore a quello, che gli compete; che però v'intacca di Aerianismo, e di Giansenismo. Dunque non ha egli il mio Correttore ben intesa la forza del verbo *dejicere*, e conseguentemente si dimostra *Latii sermonis egenum*. Non dico niente poi di quella pezzentissima pezzenteria dell'*usque* rappezzato tra l'antepenultima, e l'ultima parola del pentametro.

Sulla correzione del terzo distico non occorre dilungarmi molto, poichè in esso il mio Correttore non vi pone altro del suo, che la parola *fucati*, la quale quanto ingiustamente sia stata da lui scambiata per la parola *perdocta*, sarà obbligato a confessarlo chiunque avrà letta la suddetta vostra dottissima operetta. Nel quarto distico poi alle particelle disgiuntive *aut*, *aut* il mio

Cor-

Correttore sostituisce le negative *haud*, *haud*. Sì, questo distico debbe esser corretto, ma non colla sostituzione delle particelle negative *haud*, *haud*, come ha fatto il mio Correttore. Piuttosto alle particelle disgiuntive *aut*, *aut* si debbono sostituire le congiuntive *et*, *et*, talmente che il suddetto distico sia una proposizione congiuntiva, e non già disgiuntiva. Imperciocchè, come insegnano i Logici, (de' quali il mio Correttore si vanta di essere il Corifeo) tra le condizioni, che si ricercano, affinchè la proposizione disgiuntiva sia legittima, una si è, che delle sue parti una soltanto si verifichi. Or della suddetta mia proposizione si è verificata l'una, e l'altra parte; cioè la prima il mio Correttore l'ha verificata nella correzione dell'epigramma, siccome poc'anzi ho dimostrato; e la seconda l'ha verificata nella sua *Scorreria*, siccome chiaramente si ricava dalla vostra eruditissima risposta. Dunque quella mia proposizione doveva essere congiuntiva, e non disgiuntiva. Che però, lasciandosi intatto tutto quello, che precede, che come ho dimostrato non merita correzione, si corregga l'ultimo distico nella seguente maniera;

„ *Se certe & Latii prodet sermonis egenum*,
„ *Et proprii ignarum juris*, *& officii*.

Credo, che questa correzione non piacerà nè punto, nè poco al mio Correttore. Dunque lasci stare l'epigramma siccome si ritro-

ritrovava, e non vada inquietando gli altri con ingiuste censure, ed inette correzioni.

Ed ecco, Signor Canonico, che ho ubbidito a' vostri comandi. Ho procurato di ribattere quei colpi, che il nostro Scorridore aveva tirati anche contro di me, non per altro motivo, se non perchè aveva lodata la vostra operetta. Io non temo punto le minacce, che mi fa con Virgilio. Poichè se egli si vanta di aver delle armi che feriscono di punta; io gli rispondo, che anche io ne ho, che feriscono di punta, e di taglio, le quali saranno tenute inguainate dalla Carità Cristiana sino a tanto, che la giustizia, e 'l diritto, che ognuno ha per la propria difesa, non mi obbligheranno ad impugnarle. Intanto finisco con ringraziarvi di nuovo del preziosissimo regalo, e facendovi umili riverenze mi dico

Di V. S. Illustriss.

Divotiss., ed obbligatiss. Servo
B. B.

MONITUM EJUSDEM AD EXCURSOREM

TETRASTICHON.

Quo temere excurris? frænos innecte furenti
Ingenio, incautos & cito siste gradus.
Lapsus probrosos passum male te esse memento
Mulcatum. Labes sit satis ista tibi.